SOREX PRIMVS
ORAS CHARTARVM
primi libri DE REPVBLICA ECCLESIASTICA Illustrissimi & Reuerendissimi D. Archiepiscopi SPALATENSIS *corrodens*

LEONARDVS MARIVS *Theologaster Colonienſis*

G. 14. 37

A

DANIELE LOHETO
Burgundo Laudonensi,
eiusdem D. SPALATENSIS Amanuensi, *in muscipula captus, & eiusdem scalpello confossus.*

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM.
M.DC.XVIII.



343.04

DANIEL LOHETVS

Illustrissimi ac Reuerendissimi

D. ARCHIEPICOPI SPALATENSIS MARCI ANTONII

De Dominis, Amanuensis, suam præmittit Admonitionem.

SOlent tonstrinarum Domini, qui officinam omnibus aperiunt, nitidiores, nobilioresque aduenas ipsi suis manibus tondere, barbam, capillosque concinnare, ac odoratis pastillis bene lotos, tandemque aqua rosacea aspersos, dimittere: Quod si quis è latrina, aut carcere proreptans,

cui plurima mento
Canicies immunda iacet, ——
Cui caput impexum fœda porrigine squalet,
Sexipedumque greges pascit,

Cui canini aut aprugni dentes, cui fœtens anima, cui cutis coeno scabieque sulcata, in officinam irruat, ac tonsorem postulet, talem certè non dignatur ipse Dominus precioso sapone mundare, aut digitis suis attingere, sed immundi oris bestiam aut confestim foras extrudit, clausáque porta abigit, aut pro humanitate sua, ac supra meritũ huiusmodi hospitis eundem ad famulum suum, aut vicarium vernam amandat, qui fœdum caput forfi-

ce non tonsorio, sed pastoritio demetat, barbamque horridam non suaueolentibus pastillis, sed sordidiori sapone, aut fullonio lixiuio purgandam sumat, eumque quo dignus est modo excipiat.

Prodijt his nouissimis nundinis Francofurtiensibus, ac ad officinam nostram librariam appulit aduena quidam Coloniensis, titulis, ac nomine nonnihil præ se ferens, quasi iustam integramque refutationem totius primi libri *Amplissimi Viri* D. SPALATENSIS de REP. ECCLES. professus, Professoris cuiusdam Theologici fœtus. Hunc cum ego recentem hospitem ad ipsum Dominum meum Spalatensem adducerem, non indignum primo aspectu censebat, quem ipse manibus suis tractandum sumeret. Cum verò aperto capite qualis esset appareret, fœdus, squalidus, intractabilis, contumeliarum ac maledictorum vlceribus scatens, inuidiaque plane σησόβροτος, Dominus turpem ac maleolẽtem bestiam statim abominatus, meque obiurgans, Quid, inquit, *Daniel*, ad nos animalis immundi adduxisti? Ego vultu demisso pauidus, Eos, inquam, qui Amplitudinem vestram affari cupiunt hospites, quales sunt, adduco, non quales esse debent facio. Me certè fefellerũt honesta nomina scriptoris Professoris Theologici, & laudatoris Decani. Quod si immundum hoc pecus domum vestram suo halitu inficere videatur, nec vestro aspectui nedum contactui sit offerendum, ad Nosocomia, quæso, vel haras ablegetur; aut etiam, si iubetis, de scalis nostris deijciatur præceps in rem malam. Hìc Dominus; imo nolo eum (quanquam à talibus

libus noſtri ita tractentur) in prohibitionis ac ſuppreſſionis barathrum præcipitari. Tu DANIEL, (quam temeritatis tuæ lues pœnam) tu ipſe manibus tuis, quas iam adductione huius pecudis ſponte fœdaſti, tandem retrectare, refricare, mundare, etiam ad viuam vſque cutim radere perges:

Nos hæc à ſcabie tenemus vngues:

Tu pro merito ſuo, ac libitu tuo excipe ac purga probè

Hoc tribus Anticyris caput inſanabile.

Tum ego cum hoc meo diſcedens, ita indignabundus; Vnde tibi iſtæc, malum, audacia?

Nam quis te pecudum confidentiſſime noſtras
Iuſſit adire domos?

Hoccine glabrum, ſcabrum, ac ſordidum caput dignum cenſeri, quod Dominus meus ſuis calamiſtris, hoc eſt calamo, in ordinem reducat, ſuo odorifero ſapone ac linteamine, hoc eſt atramento, chartaque emaculet? Si vlla tibi ſpes, homo ſordide, fuerat, vt illius manu ſolerti ac honorifica tractarere, cur non eum, quo æquum erat modo, ſolidè armatus, candidè ornatus, bene moratus adijſti? An non in Præfatione ſua placidè, ſuauiterque omnes ſui ſimiles inuitauerat, vt *monitores manſueti* negotium ſuſciperent, optaratque *vt aliquis è venerando Epiſcoporum choro exurgeret, qui, non conuicijs, non verborum quiſquilijs, non phraſium inanijs ageret, ſed ipſum tenacibus rationum nodis, ſi poſſet, conſtringeret, &c.* Tu verò cum longè infra Epiſcopalem dignitatem grauitatemque ſubſidas, Epiſcopalique doctrina vacuus, non modo rationum ſumma laboras penuria, ſed

frequentem conuiciorum, ac maledictorum grandinem ipse turbine furioso actus depluis. Qualia quæso sunt illa verborum tuorum portenta, insanæque malitiæ eiaculamenta, quibus non mirum est si Dominus meus adeo commoueatur, vt merito tota tua virulentiæ, vanitatisq; plena conscribillatio plane sordescat, & dedignationem potius quàm responsionem, nauseam potius quàm calamum illi excitet? Quibus agebare intemperiis, cum deblaterares eum esse Apostatam, datum in reprobũ sensum? cũ eum onerares periurio, votifragio, proditione sãguinaria, & similibus è plaustro coniectis calumniarum ac conuiciorum cumulis fœdis, planéque stercoreis? De quibus tamen suo loco. Tum meus fœdus hospes, de conuicijs, ait, esse apud suos in more positum aliquid in vulgus spargere, ad faciendum, vt aiunt, populum, hoc est fallendum, speciosè confictis criminibus, vbi alia desunt responsionum tela. Se verò in arenam iam prodijsse, ac cum Domino Spalatensi congressum fatetur, non victoriæ spe, sed glorioſi exitus desiderio, eo quod pulchrum quiddam illa apud poetas sonare videantur,

——. *solamen habeto*
Mortis, ab Æmonio quod sis iugulatus Achille.

Similitérque illud magnificum

Æneæ magni dextra cadis:

Se autem ingenti dolore affici, quod sibi non ab ipsius, quem impetere est ausus, Domini gladio, sed famuli cultello necem videat imminere. Ego continuo, Næ tu hoc, inquam, perquam appositè. Qualis fera, tale venabulum. Mihi Amanuensi scalpellum ad manum. Et tu vile animalculum

lum forex in muſcipulam meam iam incidiſti: Ad hæc ſtomachabundus captiuus meus, Tibí-ne homule, Burgundionum vltime, ex quo aërem nuper hauſiſti Britannicum, ac Anglicano panno paludatus incedis, tantum confidentiæ ſuperbiæque eſt, vt Auguſtiſſimam Cathedram Colonienſem anguſta tua muſcipula capi poſſe putes? vt *Admodum Reuerendum & doctiſſimum DD. Leonardum Marium SS. Theol. D. eiuſdémque in Vniuerſitate Colon. Profeſſ. ordinar.* deſpicatiſſimæ beſtiolæ nomine appellites? Cui ego, Hoccine te pungit, Leonarde, quod te bipedem inter quadrupedes numerem, quod Soricem nominem? Tibi certè —— *non hæc ſine numine Diuum Eueniunt*: Tibi hoc nomen in fatis eſt. Conſule fatidicam illam in Domini mei ad primum volumen præfatione ſententiam, *vel ſi leuiculus quis ſophiſta, aut Theologaſter heſternus* (audi Leonarde) *operis mei tantum diuerticula rimetur*, (agnoſce Mari conſcie) *& quaſi per ramorum apices ſaltillans, hinc inde paucula carpat admordenda, næ ego* SORICEM *huiuſmodi* (vide te Mari) *chartarum mearum oras corrodentem haudquaquam dignum habiturus ſum conflictatorem.* Annon dixi propheticè te deſignatum? Annon ſatis emblematicè aptéque ad amuſſim hæc quadrant tibi,

Hoc eſt, quod dicunt, ipſa olera olla legit?

Sed videris adhuc, Leonarde, indignabundus percontari ac quærere

Cur mihi tam ſimilis turpiſſima beſtia ſorex?

Ego hæc obuoluta Sibyllæ folia tibi explicabo. Ex putri ortum hoc animal, ideoque, vt aiunt quidam philoſophi, indomabile. Tu ex fœdiſſimorum

rum ſcelerum colluuione compoſitus, nullis virtutum exemplis, nulla diſciplina ad ſanam mentem reuocandus. Male olet ſorex; peius rancida tua conuicia, peſſimè vitia. Semper alienum hic rodit panem; tu penum ac peram opples ſurreptitijs Bellarmini Baroniique reliquijs, in chartas mercenarias reuomendis, quod in hoc libello paſſim feciſti. Hic vagus ſemper, & ſine duce ſemita, incertam capeſcit viam; Tu maxima huiuſce opuſculi parte viam à Domino meo, quem tamen ſequi te fingis, calcatâ ſubinde deſeris, ac in deuia, extra controuerſiarum propoſitarum cancellos prorepis. Sorex ſuo indicio ſolet perire; ſic tu ſæpe argumentis tuis prodis nuditatem cauſæ tuæ. Ad pugnam ineptus mus, niſi tantum iunceam cum ranis; Tibi quid aliud cogitandum quam βατραχομυομαχία nempe, vt cum rabulis coaxantibus conflictere? Mus candelarum & lychnorum peſtis: Tu hiſce tuis lucubrationibus pinguem Mineruam redolentibus oleum peius conſumis, peſſimè operam. Denique vt teſtatur Ælianus in varia Hiſtoria, Μῦες ἔνιοι τὴν μαντικὴν, Mures quadam diuinandi facultate prædíti ſunt; ruituro nempe ædificio maturè ſe pridie ſubducunt. Quod quidem te facturum ſpero, cum iam Turrem Papalem à culmine ad ipſa vſque fundamenta concuſſam tremere videas, ac ſubſidere. Idque eo facilius de te vt credam adducor, quod tanquam ex hac arena plane receſſurus, nihilque amplius reliquis Domini mei libris repoſiturus, nonnulla è tribus libris ſequentibus videri vis anticipando delibaſſe, ita vt, ſi poſthac conductores tui te vrgeant vt pergas, negotium declinare poſſis, aſſerendo te titulo

quidem

quidem ac profesſo nomine vni primo DE REP. libro reſponſionem adornaſſe, ſed re ac rationibus æquè tribus ſequentibus, ac ipſi primo. Quod profectò ſatis ſuperque verum eſt, cum eorum nullum ad medullam terebraueris, ſed extimum tantum libri primi corticem leuiter, oſcitanterque perſtrinxeris.

Vnde vero tibi miſelle Sorex tanta proteruitas ac peruicacia, vt cum interna pulcherrimi libri penetrare non poſſes, oras tamen extimas paucarum chartarum dente infælici temerare non ſis veritus? Si dentes tuos aut tenellos adhuc, aut obtuſos & detritos ad ſolidiſſimum librum interius rodendum ineptos agnoſcebas, ab oris ſolis adrodendis tibi erat omnino abſtinendum. An non præuidebas, Leonarde miſer, tibi muſcipulam eſſe paratam? Non mures metuit inuicta illa machina, contra quam non erat certè agendum dentibus vel acutis, nedum tuis. Turris eſt ſuper Petram ſolidiſſimam ædificata; ecquando mures, ſorices, & alia id genus infami ortu animalcula Saxeas moles, & adamantina fundamenta ſubruerunt? Antequam in Soricem te (Leonarde) transformaſſes, ſtatuiſſeſque leuibus admorſiunculis inſurgere, & dentibus ſatis imbecillibus ad librum illum accedere, legeras profectò in ipſa operis præfatione, ſpurci oris homunciones, mendaciorum confictores, maledictorum funditores, ac baliſtarios, ab Autore ipſo fore contemnendos. Eraſ-ne (ſic te nomine præfers) Theologus? At vera Theologia à maledictis, à calumnijs, à conuicijs, à mendacijs abhorret. Eraſ-ne (ſic baptiſmo, ſi vnquam baptizatum huiuſmodi monſtrum,

Marius maledicus conuictor.

ſtrum, te profiteris) Chriſtianus? at inter maximè proprias Chriſtiani hominis virtutes, precipuè eelucet Charitas, quâ tu tamẽ nũ quâ videris ſalutaſſe. Annon ſe in Præfatione operis ſponte obtulerat Archiepiſcopus meus Dominus *cuiq; fratri condiſcipulũ ſuauiter monendũ, & cuique Patri diſcipulum erudiendum, ac vbi clandicaret refingendum?* At vbi (quæſo) ſcripta tua charitatẽ vllã redolent? Hoſtilem duntaxat erga D. Spalatenſem animum prodis, ac linguam caninam exertas. Clamoribus obſtrepere ac oblatrare, non rationum telis vulnerare ſatagebas. Quod ſi legitima ac pulchra tibi placuiſſet victoria, conari debuiſſes, vt errantem argumentis amice conuinceres, non vt conuicijs immerentẽ acerbè proſcinderes. Sed hoc eſt ſcilicet, ſemperq; fuit omnium veſtrûm ſchiſmaticorum Papicolarum ingenium, vt cum amplius neruoſa diſputatione inſurgere, imò ne hiſcere quidẽ poſſitis contra Orthodoxorum tot doctiſſima, & mitiſſima ſcripta, ad conuicia calumniaſque, tanquam effrontes meretriculæ, conuertamini. Eraſne demum (ita facie, vel potius laruâ, monſtraris) homo? At certè ſi humillimas Illuſtriſſimi Domini mei Spalatenſis preces, quas ſui operis fronti præfixit, ſi modo hinc ſanctiſſimas eius obteſtationes, ſi religioſiſſimas, quas offert, conditiones; illinc verò tuum virus, tuam rabiem, furoremque quis aduertat, planè agnoſcet te omnem exuiſſe humanitatem, & non modo barbariſſimos Scythas, ſed etiam feras quaſcunque immaniſſimas truculentia ac rabie ſuperare.

Marius ſine charitate.

Marij ſine humanitate barbaries.

Quid vero ſibi voluit, Leonarde Profeſſor Colonienſis, tua tanta, & tam imprudens feſtinatio?

cur

cur tam præcipiti vſus es conſilio, vt antequã vel ipſum primum volumen plene perceperas in ſolum primum librum ex quatuor, quos præ manibus habebas, effutire volueris aliquid, & euagari ad ea, quorum ſolutiones maxima ex parte in ſequentibus tribus libris habebas, & alia pleraque in reliquis ſex libris quamprimum edendis tractanda eſſe cernebas, & meritò expectabas? Audiſti quàm te candide, ſimpliciterq; ex intimis ſenſibus orauerit, digniſſimus Dominus meus Spalatenſis, Hilarij verbis, *Vt ante operis conſummationem plenum iudicium non proferres; vt non de inchoatis ad cognoſcendum, ſed de abſolutis ad cognitionem iudicares; vt verum intelligere ex iis, quæ abſoluentur, non euitares*: Tu verò leuiuſculi, puriliſque ingenij homuncio, non tam quid ſcriberes, quàm quid ad proximas poſt editum D. Spalatenſis primum volumen, nundinas, nomine quidem aduerſus Spalatenſem, reipſa aduerſus te ipſum, tuamque Colonienſem, per te deformatam Facultatem, euomeres: ideoque non partum edidiſti maturum, ſed abortiuum proieciſti. Illi ſcilicet gloriolæ hiſtrionica tua ambitio inhiabat, vt nomen tuum, quamuis infame, in hiſce ſonaret Nundinis Francofurtienſibus, vt libellus aliquis tuus ad pauculos dies in Officinis proſtaret, vtcunque ſtatim moriturus, ac quaſi herbula ſolſtitialis, exariturus. Aſanctiſſimo D. omnium veſtrum idolo famelicus rabula præmiolum aliquod præpropere te hoc chartaceo aucupio conſecuturum ſperabas: ſed cum nudus, miſer, & inermis cum longè impari tuis puerilibus viribus veterano antagoniſta congredi videri volueris,

Marij abortus.

ris,& præter exilem infantis proteruientis, baubantisque clamorem nihil aliud effutieris, quid quæso præmij expectare poteris, præter inania ludentibus pueris apta crepundia, his nundinis tibi emenda? Exiguas admodum tibi gratias Papam habiturum certe non dubito, vtpote, qui infantilj inscitiâ tuâ causam Pontificiam prodideris potius, quam propugnaris. A solidioribus Pontificijs pugilibus solidiora meus expectat Dominus, quibuscum honestum, & generosum, post totius operis integram suam promulgatam editionem, ineat certamen, si qui futuri sint, qui seriò ab eo dissentiant, amicéque ac solidè contra ipsius doctrinam insurgant, qui non, tui similes, chartarum fastigia arrodant Sorices, neque, vt tu, sophistam & Theologastrum agant, & rimentur diuerticula; sed si illi silentio suo opus D. Spalatensis approbabunt, insurgent, scilicet, magni illi Antuerpienses Archipresbyteri, Archidiaconique Cameracenses, Fideles Annosi ficti, vel Infideles pannosi, tineis corrodendi, Censoresque cucullati, ac reliquæ misellæ florentis olim, nunc verò immane quantum mutatæ, ac sub iugo gementis Sorbonæ fæces, agrestes & rusticani, tam re fortasse quàm moribus, dum honorificè ab ipso D. Archiepiscopo Spalatensi compellati, ei conuiciis & contumelijs, in quadam censura satis inepta, vices non sine graui rependunt ingratitudine: quin etiã, insurget, scilicet maximus ille Binius, Bibliopolis subseruiens, Decanus & laudator, ac approbator tuus, & in edenda illa, et risu excipienda Colonienſi censura socius. Thrasonicam iactantiam, illi duo priories

Scriptores nugiuendulæ aduersus Consilium profectionis D. Spalaten.

Censura Sorbonica breuis, & leuis.

Censura Colonienſis.

priores, & nescio qui alij obscuræ notæ nebulones, vt miseri Melitenses catelli exili gannitu, canino tamen latratu, aduersus primum D. Spalatensis, sui consilij expositorem libellum ediderunt. Nunc vbi bona ex parte quid ille sentiat, quid intendat, explicatum habent, mox reliqua animi eius sensa duobus breui emanatura voluminibus habituri, vires exerant, etsi quid sciunt, si quid possunt, hoc est, si quid sit aquæ in pumice, aut sanguinis in saxo, conentur aliquid, monstrent quales viri sient; re tamen, & argumentis, non, ut eorum iam mos est, cassobaatu, conuicijs è plaustro proiectis, aut calumnijs agant in popina excogitatis, ac spurcorum ganeonum fœdo halitu, ad rauim vsque, decantatis. Tu verò miserande sorricule Mari, ἀρτοτρώκλης melior, quàm χαρτοτρώκλης in panariâ te aliquâ, vel caseariâ penũ abde, vbi possis aliquid palato tuo aptius quàm libros Theologicos rodere, eos præsertim quibus cõminuendis tui dentes non sunt pares: Istæc ossa satis superque dura, tu heluo auidior, quàm dentatior, tuarum tenellarum maxillarum sanguine cruentata lambere aut morsicare potes, effringere certe nunquam poteris, nec minima quidem ex parte temerare. Sed iam dentium tuorum leuiter impressa signa ac vestigia, quandoquidem mihi nunc otium aliquod est, libet inspicere.

Te præcentorem meum sequar, Leonarde, tonumque tui cantus in meis antiphonis, vt par est, retinebo: si tonus fuerit bonis auribus dissonus, tibi præcentori, non mihi tuo cantori id tribuendum erit: nam & stulto iuxta stultitiam respondendum esse, monet Sapiens Prouerb. 26. 5. Ego

tua

tua legi patienter, tu quoque mea audi æque patienter, neque mireris si eadem mensura qua tu mensus es, remetiatur & tibi. Matth. 7. 2.

Contra inscriptionem libelli.

IN ipsa igitur fronte tui libelli, Leonarde, mus ispurcissime, (vt tecum, sicut dignus es, loquar) tres tuæ statim oculis obuersantur muscerdę. Prima est, quod vbi solum primum librum de Repub. Ecclesiastica te exagitare profiteris, nihilominus de Primatu & Petri, & sedis etiam Romanæ assertionem proponis, cum tamen in primo libro Dominus meus Spalatensis solum Petri, non Romanæ, aut cuiusquam alterius sedis Primatum excutiat: Tu verò, extra oleas vagatus, in sedis Romanæ Primatu confirmando quasi totus es; & vbi Primatum Petri defendere non potuisti, inops consilij, ac expers auxilij ad Primatum sedis Romanæ confugisti; vt videlicet pro tua vel crassa inscitia, vel affectata vafricie, Petri Primatum ex Romanæ sedis Primatu colligeres, & confirmares; quod est, peruerso ordine, bobus currum prępone re, argumenta interim Primatum Petri demolientia integra & intacta permanerent. Alterum fœditatis tuæ indicium in ipsa libelli tui fronte prominens est, quod doctrinam Domini Spalatensis hæresim, & schisma vocas: cum tamen nihil ipse toto suo opere protulerit, nisi quod ex Scripturis, Patribus, & Concilijs, optimisque Catholicæ doctrinę rationibus confirmauerit, quæ tu infirmare nunquam, vt patebit ex sequentibus, potuisti. Lubens etiam gratoque animo accipit Dominus meus luculentum illud, &, vt ab hoste profectum, honorificum testimonium, quod ipse pag. 29. de eius edito volumine prædicas, quasi

Marius extra oleas vagatur.

Contra argumentum totale libelli.

totum

totum illum librum ex sanctorum Patrum scriptis compilarit. (Quod enim de glossarum ineptijs addis ineptissimum, postea facillime depelletur.) Tibi ergo non tam contra Dominum Spalatensem, quam contra totam Sanctorum Patrum cohortem hic est depugnandum. Tertia labes coenosa, qua eandem frontem conspurcasti, est distortio turpissima sententiæ insignis ex Cypriano desumptæ, quam Emblematis ornatorij locum habere voluisti; tanquam si ad Papam Romanum ea verba Cypriani pertinerent. Verum hoc tibi, infesto omine, malus Angelus aliquis insusurrauit, vt vnde munimentum ac præsidium captare cupiebas, inde vulnus opprobriumque reportares. Quid enim aliud res ipsa loquitur? cum in ipso primo limine cespitare te videam, vt illam celeberrimi Patris rationem, quæ contra Romanum Episcopum iura defendit Episcopalia, ad Papatum venditandum miserè detorqueas, adeoque verus sorex tuo, vt prius adnotaui, indicio deprehenderis. Quod si legisses quartum Domini Spalatensis librum cap. 10. num. 74. 75. locum illum exponentis, & aduersus Papatum retorquentis, puduisset te ea Cypriani verba, tuo conatui maxime aduersantia in Emblema assumere.

Marij honorificum testimonium de D. Spalatensi.

Contra Emblema in fronte libelli.

Sequitur in auersa portæ tuæ facie Binij tui Decani approbatio, in qua mulus mulum scabit, & asinus asinum fricat: vere dignum cacabo operculum. Marium laudat Binius: scilicet Clodius Verrem. Quid verò in eximij huius Leonardi libro est, quod ita placet Binio? Nempe quod Domini mei libro sit è diametro oppositus. Certè primam

Contra approbationem libelli.

mam tantum pagellam Mariani opuſculi vidiſti, Bini, nam ſi penitius introſpexiſſes, reperiſſes nec diametraliter oppoſitum, nec contrarium, nec ſubcontrarium, ſed maxima ex parte παρήγορον, vagum, laxum, à re alienum. Scriptori ſcriptor, non autem liber libro ſe opponit. At *nil in eo eſt Catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnans.* Nonne te pudet, Bini? De fide tu iudex impar, qui nihil ſapis, niſi ex Baronij tripode. De moribus bonis, ſi vnquam in horto tuo creuerint, cur non melius guſtas in alieno? Nihil-ne bonis repugnans moribus, vbi tot calumniarum, mendaciorũmque portenta? Sed quid miror facilem hunc Cenſorem illud in alio non modo excuſare, ſed etiam laudare, quod ipſe exemplo ſuo affirmat effrons, blatero, vel balatro barathro dignus, qui ibidem Dominum Archiepiſcopum Spalatenſem Apoſtatam vocat? ſed miſer Binius Tartareis Luciferianæ ſuperbiæ tenebris excæcatus, neque quid ſit Apoſtaſia nouit. Quia D. Spalatenſis ineptias quaſdam Binij in ipſius in Concilia notis ex Baronio expilato conſarcinatis, aliquando, modeſtè tamen vt grauem Prælatum decet, perſtrinxerat, iam reus, & male ſibi conſcius, conuicijs in vindictam inſurgit: Et Cenſuras edit, quaſi *Tertius è cælo lapſus Cato*: Quis vero, quantusque tandem, Seuerus hic Cenſor Seuerinus Binius, qui ex tripode Apoſtatas pronunciat, doctrinas ſchiſmaticas approbat, & Epiſcoporum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ columnarum ſcripta, ſua virga cenſoria notat, & cũ ipſius ſcripta obeliſco fodiẽda ſint, aliorũ lucubrationes emaculatiſſimas turpi ſtigmate inurit? Quis cẽſuras & iudicia rerum fidei talibus commiſit? Synodi ſacræ

Epiſco-

Episcoporũ in Ecclesia Catholica semper scripta, præsertim Episcoporũ, quæ suspecta viderẽtur, pro sua prudentia & autoritate vel approbarunt, vel reprobarunt. Videbit hæc Synodorum corruptor Binius, videbis & tu infantissime Mari, si tantisper volueritis septimum Domini mei librum præstolari. Quæ isthæc vestra arrogantia, libros eorum, quibus vt sitis, qualis sum ego, Amanuenses, vix digni estis, damnare, & proscribere? Inuitauit amicè meus Dominus Collegia omnia Doctorum virorum, & facultates seu Vniuersitates Theologicas, vt libros ipsius ad trutinam reuocarent: sperabat se cum veris Theologis negotium literarium habiturum. Cupiebat vt suisilli plenis dissertationibus, si quid reprehendendũ putarent, erroris, aut si potuerint, etiã malitiæ apertè couincerẽt. An verò propterea simplici se eorum autoritati subiecit, vt nudam pro libidine ferrent sententiam, & libros ipsius, quasi ex Phębi Cortina prolato oculo vel approbarent, vel reprobarent? Nihil minus. Semper professus est se libenter veritati pariturum, manusque daturum, dummodo veritas ei opportunis aduersus ipsum allatis argumentis, & ipsius sublatis fundamentis, innotescceret. Itane à priuatis Doctoribus discutiuntur libri, vt quis nuda assertione prõnunciet hanc vel illam propositionem esse hæreticam, nulla adiecta probatione, aut refutatione? Imo ne Concilijs quidem legitimis Oecumenicis sic procedentibus credendum est, nisi legitimæ fiant in ipsis rei controuersæ discussiones: Quanto minus credi debet quibusdam priuatis, & maiori ex parte imperitis doctoribus, etiam in Collegijs sanè priuatis, quibus ab Ecclesia

nulla publica cura, quoad res fidei, est demandata, collectis & congregatis. Conspiratis tu, & Binius, Marius cum Sylla, ac conscribillatis vestras Proscriptionis tabellas atroces ac infames, censuram illam scilicet stultissimam, certe pueris ludificandi, quàm viris instruendis aptiorem: arrogastis vobis licentiam hæresis notam multis propositionibus inurendi, quas ne Romana quidem Curia hactenus hæreticas esse ausa est pronunciare: nam verè quid sit hæresis æque nostis, ac vpilio quid sit materia prima: sed vos duo, fratres in iniquitate, & fortasse pauculi alij ex vestra facultate, quia Domini Papæ parasiti estis, eius aures prurientes titillare voluistis, oculisque veritati occlusis, ad Papatum infælicem tuendum vos accinxistis: sicut & leuiculi quidam Sorboniste ante vos fecerunt. Adsunt inter vos, scio, adsunt in Parisiensi etiã Facultate viri docti & graues, qui de Christo, de Euangelio, de Ecclesia, Ecclesiasticáque libertate egregiè sentiunt, sed ea est temporum conditio, vt qui bene sentiunt, sententiam suam piam & orthodoxam premere, ac abscondere cogantur: & veritatem intueantur quidem, sed profitendã esse nondum arbitrentur, meliores opperientes opportunitates. Sed de approbatione & censuris satis.

Censura Colonien sis.

Censura facultatis Parisien.

In tua præfatione, Leonarde, simia mei Domini esse voluisti. & sanè inter tuam & Domini mei Spalatensis præfationem ea est differentia, quæ inter simiam μιμικὸν δεκτον, ψευδικὸν δεκτον, & verum hominem. Vbinam hactenus, quæso, vidisti, vnde didicisti Episcopos Ecclesiæ Catholicæ vocari *totius Ecclesiæ Romanæ, id est Catholicæ, Antistites*. O insanum caput centies poto helleboro vix curandum

Contra Dedicatoriam Marij.

Marij insania.

dum; nunquid tota Ecclesia vniuersalis est Romana Ecclesia? Hoc nemo vnquam, quantūuis corruptissimus Papicola, dixit: Fides Romana, quatenus putatur esse fides vera, illa quam tota Catholica tenet Ecclesia, potest dici fides Catholica, & fides vniuersalis: qua ratione fides etiam Ecclesiæ Mediolanensis, Ecclesiæ Lugdunensis, Spalatensis, & aliarum, si sit vera fides Catholicæ Ecclesiæ potest vocari fides Catholica, & vniuersalis: At totam Ecclesiam vniuersalem, vocare totam Ecclesiam Romanam, non est nisi insani; nam Ecclesia Romana nulla alia vocari potest nisi illa quę est Romę. Certè enim Ecclesia Toletana non est Ecclesia Romana: ita nec Alexandrina, nec Moguntina, nec quæcunque alia Ecclesia vlla particularis, qualis est Romana, dici potest vniuersalis; neque hoc sensu, nisi per asystaton; quasi dicas Ecclesia vniuersalis particularis, vel, totalis partialis: Cui affine est illud in Glossa; *Statuimus, id est, abrogamus.* Contra hunc tuum titulum turgidum, ventosum, & inanem, quem præfationi affixisti, lege secundum & septimum quarti libri caput, & confundêris. Neque enim debueras hoc titulo vti, nisi prius dictis duobus capitibus, imo per totum lib. 4. confutato.

Ex Ecclesiæ Catholicæ, inquis, communione abijt Spalatensis. Turpe mendacium. Vide Consilij expositionem num. 14. *A charitate tamen*, inquit ille, *quam debeo Ecclesiæ S. Catholicæ, singulisque eidem communicantibus, me nunquam separo.* Vide etiam lib. 4. cap. 2. num. 36. 37. &, nisi prius ista confutaueris, nihil de abiectione communionis blateres. *Marcus quidam Antonius* Marius mendax.

ais; & ſtatim ſubdis, *Eccleſiæ Salonitanæ aliquando Archiepiſcopus.* Idem eſt, ac ſi dicas Camillus quidam Burgheſius, nunc Romanus Papa. Redi ad ferulam, & congruam diſcas orationem, miſer: non poteſt ſtare particula incertitudinis, & obſcuritatis, *quidam*, cum titulo certo, inſigni & notorio, puta Papatus, vel nominati, & præſertim inſignis Præſulatus. Apoſtaſiam vocas quod à Romanis inſidijs ad tutum ſe perfugium receperit D. Spalatenſis. Sed eſtne Apoſtata, quia venit in Angliam; an quia fidem Chriſti abnegauit? Si abitus tantum ex Italia in Angliam facit Apoſtatam, tunc Apoſtatæ ſunt omnes legati Principum Catholicorum: omnes Mercatores, & quicunque quacunque ex cauſa huc iter ſuſcipiunt. Si fidem abnegauit, antequam voces Apoſtatam, iudicandus eſt, audiendus eſt, de fide examinandus: tunc legitima ſententia proferenda. Quis verò tibi, tuoque Binio, quis *Beyerlincho*, quis *Boudoto*, & alijs eiuſdem furfuris hominibus autoritatem dedit contra indemnatum, idque indicta cauſſa pronunciandi? Impudentes ergo eſtis calumniatores, & conuiciatores peſſimi. *Totus liber*, inquis, *nihil niſi hæreſes, ſchiſmata, maledicta, & ſarcaſmos ſpiraret.* Quando hæc ſingillatim docueris, & probaris, tibi reſpondebitur, interim ſtultè aſſeris, quæ non probas: Quid illæ tuæ ſimilitudines capitis, & Regis? *Liber Archiepiſcopi eò dirigitur*, ais, *vt inducta opinione de male fundato Romano Primatu, compago Eccleſiæ diſſoluatur. Si enim male ſanum ſit caput, corporis ſequitur interitus: et ſi Rex diuellitur à ſubditis, regnum perit.* Hæc

Marius infans.

Marius malefanum caput.

tua

tua ex tuo vertiginoso, imo, forte, insano cerebello prodeunt. Nam meus Dominus non conatur inducere ægritudinem aliquam, aut malam doctrinam in caput tui Papæ, vnde tua ruat Ecclesia: sed totum istud assutitium ac putridum vestrę Ecclesiæ caput conatur auellere, & in Tyberim proijcere: vt eo abiecto Senatus Ecclesiasticus à suo tyranno & oppressore liberatus, Ecclesiam, vti Christus instituit, regat; in quo regimine nullum malum ex vnius ex Senatoribus regentibus ægritudine in reliquum corpus redundat: nam alij, eo decumbente, supplent, & Respub. si Aristocratica sit, etiam vno Senatore abiecto, sana manet & incolumis.

Marij præfatio scopæ dissolutæ.

Post hæc sequuntur in reliqua tua præfatione scopæ dissolutæ. Quid coniunctionis habet locus Canticorum de capiendis vulpibus paruulis, cum Papa? Quid ad rem præsentem quam tractas, vt libro Spalatensis respondeas, cum officio Papæ tui in capiendis siue *vulpibus paruulis*, siue etiam *feris singularibus*? Addis, primo tempore *Episcopos vniuersaliter in prouincijs contra hæreses insurrexisse*. Si Episcopi, si Concilia, non ergo solus Papa. Hos Dominus meus iudices ac censores non defugit, his se telis obuiam sistit. Vos, quæso, Episcopi, de illo iudicate Episcopo. Cessent, sedeant, sileant huiusmodi rabulæ, ac imi subsellij balatrones, ganeis, popinis, ac compitis, quàm scholis, aut cathedris, aut Synodis magis idonei. Inducis tamen, mi Mari, duo exempla, & vnicum testimonium, vt probes Papas curam gessisse Ecclesiæ. Si hæc sunt in quæstione, & hæc ipsa, permultaque

alia exempla, & dicta discutiuntur fusè & exactè à D. Spalatensi lib. 4. cap. 10. toto, tu hic tantum nugaris.

Excitas deinde Episcopos aduersus illum Marcum Antonium, qui toto suo opere nihil impensius solicitat, quam vt eosdem Episcopos excitet, vt curam suscipiant Ecclesiæ, eamque iam sibi vi & artibus à Romano Nembroth ereptam, vindiciarum iure recuperent. Tu quoque igitur in hoc neque sciens, neque volens M. Antonio inseruis. Quid enim ille contra Episcopos habet? Annon pro Episcopis totus insurgit? Et si eos interdum attentius, serioque increpet, vbi se suo iure ac dignitate priuari patiuntur, ac nimis abiectè iugo Papali ceruices suas submittunt, non magis ijs est iniurius, quam qui Patremfamilias interdiu stertentem, ac interea à furibus spoliatum, ac expilatum amicè vellicat, vt è somno adeo damnoso excitet.

Quomodo tessera & signum Catholici hominis fuerit cum Romana Ecclesia communicatio, habes libro 4. cap. 9. num. 16. Ex qua tamen Primatus Papalis deduci nequit: cur ergo id pro Primatu adducis, quod vidisti adduci non posse? Dictum Ambrosij vidisti explicatum in suo vero sensu tuo Papæ nihil propitio lib. 4 cap. 10. num. 84. Reliquos Patres, quos nominas, eodem potissimum capite tibi penitus ablatos esse optimè nosti; & illos tibi esse penitus contrarios cognosce ex toto cap. 8. eiusdem quarti libri. Esse Episcopatum nudum ministerium, magnis tamen & pulcherrimis facultatibus instructum videbunt Sacrosancti Episcopi, mei Domini Archiepiscopi

pi Collegæ, lib. 5. cap. 2. quando prodierit. Eas vero fuisse per Papam totas vsurpatas cognoscunt ex libro 7. cap. 5. & passim ex alijs. Nexum vero vnionis inter Episcopos, esse in fide & charitate, mutuaque concordia, & sub vinculo Canonum, vident in iam editis quatuor libris, pluribus locis; quos omnes annotatos inuenient in Indice vniuersali sub voce, *Vnio*, *& Vnitas*, & videbunt adhuc plura in lib. 7. passim, & alijs. Sed iam insulsam præfationem, seu dedicatoriam nauseabundi omittamus.

Primi Capitis

Mariani ineptiæ.

Lux valuit, ais Leonarde, *apud animum* (Domini mei Archiepiscopi) *male semel concepta, decretaque oppugnatio Romanæ Sedis, quàm professio veritatis.* Gratiæ igitur Deo quod totus primus liber de Repub. Ecclesiastica nihil contra rectam fidem, nihil contra Ecclesiam, vel post sagacis, mordacisque aduersarij indaginem, contineat, nisi Romanæ sedis oppugnationem. Et tamen in toto primo libro vix incidenter fit Romanæ Sedis mentio. De Primatu quidem Petri agitur, vt Reipub. Ecclesiasticæ à Christo institutæ forma appareat; sed de Papatu Romano nihil. Quicquid ergo tu, mi Leonardule, in tota hac tua refutatione verbosa, de Primatu Papæ, vel Romanæ Sedis habes, erit penitus explodendum, ac omnino contemnendum, quia ad hunc, quem exagitandum iam suscepisti, primum librum id

Pag. 3.

Marius nescit quid oppugnet.

id nihil pertinet, vt ſuis locis videbimus. Quid ergo in hoc tuo magni Ardelionis negotioſo, ſimulque otioſo opere relinquetur, niſi vt in Aduerſaria tua Theologica reponas denuo ea, quæ inde iam alieno loco ac tempore deprompſiſti, referenda certè, in tuo locorum communiũ libro chartaceo, ad literam P. ſed ſubijcienda verbo *Papa* (cui nempe ſubijciẽda apud vos omnia) non, vt hic tu Cathedra indigniſſimus intempeſtiuè ac præpoſtere, verbo *Petrus*, vel *Primatus*? Quis iam non videt quam tu pulchrè ex ridiculo ſorice fias adhuc magis ridiculus muſculus?

Pag. 4. Quod præmittis cap. 1. num. 6. de vocis huius *caput*, acceptione, tam propria, quàm metaphorica, id multo melius & clarius meus Dominus poſuit, à quo tu didiciſti lib. eius 1. cap. 1. num. 4. & numero 10. & lib. 4. cap. 7. numero 32. & num. 33. Propoſitiones tuæ prima & ſe-

Pag. 6. 7. 8. cunda cap. 1. num. 10. & n. 12. pluribus tractantur, & confirmantur ſatis à D. Spalatenſi toto ſuo primo c. lib. 1. Sat tibi fuerat illas admittere & concedere, & pro vno aut altero ex ſcriptura in earum confirmationem addito loco, gratiæ tibi à Domino meo debentur, ſed dum dicis num. 13.

Pag. 9. Marius contumelioſus. *ipſum à palmitibus, qui in Chriſto vite manent, abijſſe*, non ad veritatẽ, ſed ad tuæ linguę pruritũ pertinet. Et iterum te moneo, vt adeas tractatulum illum per totam Europam, etiam linguis pluribus vernaculis, ſparſum, in quo D. meus ſuæ profectionis conſilium exponit, num. 14. & lib. 4. Operis de Rep. cap. 2. num. 36. 37. Propoſitio tua tertia num. 17. cum ſuis probationibus vſque ad num. 20. primi cap. de participatione conceſſa

ceſſa à Chriſto hominibus eorum, quæ ſunt propria Chriſti per excellentiam, tibi nihil inſeruit, neque D. Spalatenſi officit: Non enim vera eſt abſolutè, niſi in ijs, quæ ſunt communicabilia: Nam quę perſonalia ſunt in Chriſto, ea per participationem non communicantur: & ſicut nemo participat in filiatione naturali Dei, nemo in officio Redemptoris, et Mediatoris, ita neque in officio Capitis proprie dicti, cuius proprium eſt influere: quo ſecluſo, in alijs caput non eſt caput, ſed membrum corporis materialiter, vt habes locis à me ſupra ex libris mei Domini citatis. Quod ſi alia quædam munera ſua paſcendi, docendi, inſtruendi, curandi &c. alijs Chriſtus communicauit, vt miniſterialiter ea exhiberent, id D. Spalatenſis iam docuit toties, tam clarè, & tam enucleatè omnibus ex æquo Apoſtolis à Chriſto fuiſſe commiſſũ, vt niſi id euertas, ſcias te & extra tuum inſtitutum euagari, & cum Siſypho fruſtra idem Saxum voluere.

Propoſitio itaque tua 4. num. 20. ad tuum quidem negotium ſpectat, ſed ea falſa eſt, neque à te ſufficienter probatur. nimirum etiam officium capitis & Rectoris Eccleſiæ eſſe communicabile per participationem. Prima tua probatio num. 21. diſtinctione tollitur, aliud enim eſt regere principale, aliud regere miniſteriale: illud eſt proprium veri capitis, & veri Rectoris, hoc non ita; & illud Chriſtus ſibi ſoli reſeruauit, hoc verò etiam alijs communicauit, vt eſſent nimirum illi, quibus Eccleſiam commendabat, non Rectores, & capita abſolutè, ſed ipſius Chriſti veri capitis, verique & ſolius Rectoris exe-

Pag. 14.

Ad primam probationem. Pag. 14.

executores, promotores, adiutores, administri; quæ bene potuisti discere ex toto cap. 2. libri primi. Itaque vera ratio Capitis, & vera ratio Rectoris neque est in vno puro homine, neque in pluribus, neque monarchicè, neque Aristocraticè; sed ministerialis Aristocraticè fuit æquè in omnibus Apostolis, & inde in omnibus eorum successoribus.

Ad 2. probationem. Pag. 16. Secunda tua probatio limites primi libri excedit: si eam suis locis agitaueris, tibi ipsi frigescet. De capite tibi agendum est, num ratio capitis sit à Christo vel vni, vel pluribus communicata. D. Archiepiscopus nulli communicatam fuisse contendit curam & principalem capitis, & Rectoris Ecclesiæ rationem. Ministerialem pluribus, quodammodo nec perfectè Aristocratice, certe non Monarchice, vt habes explicationem. lib. 1. cap. 12. n. 6. Non ergo probasti quod intendebas, rationem veram capitis fuisse alijs participatione a Christo communicatam, nisi tantum ministerialiter, & executiuè: quare inane totum est quod colligis num. 25. & Chri-

Pag. 18. stum, & Petrum potuisse esse caput. Nam de vero capite falsum est: & quando etiam tibi quod non est, concederetur, Christū alijs officium capitis per participationē communicasse, laborandū tibi non parum esset, vt probes soli Petro id fuisse commmunicatum, & non æque alijs quoque omnibus Apostolis: quod tu an probes mox vi-

Pag. 19. debimus. Et quod addis ex politicis num. 26. parum scitè addis: Nam Reges supremique in suis ditionibus Principes sunt vera capita, verique Reipub. temporalis Rectores, siue sint Monar-

chę,

chæ, siue Optimates, siue populus: quia Deus ipsis suam principalem potestatem regendi temporalia communicauit participatiuè, vt videbis plenè lib.6.cap.2. & ita in temporalibus sunt vera capita, & vero influxu operantur, dum quæ ipsi secundum rectam rationem politicam facienda præscribunt, & fugienda vetant, mutant, abolent, innouant, vt ipsis rectum visum fuerit, & non sunt meri sibi impositarum legum executores, sed ipsimet, penes quos suprema est potestas ciuilis, leges, quas volunt, formant, iterum antiquant, & in contrarias mutant &c. Et hæc est vera influentia capitis externi in corpus ciuile externum, metaphoricè à capite animalis denominatum. Non sic est in Ecclesia, in qua Rectores sunt meri executores legis Euangelicæ, & Christi administri, non propriè, sed Christi doctrinæ, & legis instructores, hortatores, monitores, &c.

Propositio tua quinta num. 27. nihil ad tuam rem facit, nisi addas ei vocem restrictiuam *solus:* ita vt asseras, & probes soli Petro fuisse regimen & gubernationem Ecclesiæ à Christo commissum. Nam quicquid affers à num. 27. ad num. 40. totum otiosum est, & casso farcimine replet chartas, nihil mei Domini librum oppugnat: quicquid enim tu de Petro probas, id commune fuit omnibus Apostolis, vt toto libro primo passim ostenditur: & ea omnia ad regimen solum spectant ministeriale omnium Apostolorum æquè proprium, non ad veram rationem Capitis & Rectoris, quam tu probare deberes, sed ab hac probatione multis abes parasangis. Dictum est

Pag.20.

Marius ociosè inania multiplicat.

Ad primam & secundam probationem, Pag 21,22.

est Petro, *Pasce*, vocatus est *Petra & fundamentum*, Datæ sunt ei *claues*: & reliquis Apostolis dictum est, *Euntes docete*: & hoc est *pascere*, & Paulus Ephes. 4. non vnum Pastorem, sed plures ponit in Ecclesia, quorum munus agnouit esse vt docerent: omnes Apostoli & Petra, & fundamentum fuerunt, & Ecclesiam ædificarunt: omnibus data est potestas ligandi, & soluendi, quæ est ipsa potestas clauium, & sic omnes fuerunt clauigeri, omnes Rectores, omnes Præpositi. Princeps verò Petrus, & primus principatu. & primatu personali: quæ omnia accurate tractantur, aperteque traduntur à D. Archiepiscopo, suo primo libro c. 5. 6. 7. & 8. Cur tu hic in primo capite temporis, chartæ famæque prodigus ea otiosè congeris, quorum habes aptas solidásque suis locis solutiones?

Ad 3. probationem ex Act. Apostol. pag. 24.

Pergis num. 32. hunc Petri Papatum probare *ex Actis, quæ B. Petrus vigore huius dignitatis fecit.* Hic luculentam expectauimus historiam, aut numerosum Catalogum Decretorum, ac rerum gestarum, quæ à Monarchica Petri potestate prodierint. Acta cum quærimus, & quasi Archiuis inspiciendis inhiamus, promitur ecce liber *Actuum Apostolicorum*, quem miror à Luca scriptore non insignitum titulo *Actuum Petri Archapostoli*, si adeò interfit Ecclesiæ scire omnia quæ *vigore huius dignitatis* facta, & patrata sunt. Sed quæ sunt hæc acta Petri? Primo; Quod *Apostolico choro duodecimum addiderit.* Petrusne addidit? Imo maior Petro ipse Deus, qui sortes regit: *Et cecidit sors super Matthiam vers. 26.* Sed forte Petrus eundem cum Iosepho sorti subiecit: Imo omnes simul

mul Apostoli, & *statuerunt duos &c. vers.* 23. Num sortem iecit? Imo plures: *& dederunt sortes eis* vers. 26. sed *tanquam Concilij totius præses primus de hoc supplemento sermonem instituerat*; Lubenter agnoscimus, ac ipsi in illo Concilio præsidentiam quandam, primásque loquendi vices concedimus, vt Præsidi in senatu. Quid tum? Dignitatis hoc esto, vel ipso ita nominante *Mario*, qui, quæ recenset, vult *vigore dignitatis geri*. Ex hac tamen dignitate, siue ordinis Primatu, nulla in reliquos coapostolos Petri autoritas emergit. Quod si qua ex hoc negotio autoritatis vmbra in Petro, eam dimensus est Dominus meus, ac ea de re Chrysostomi sententiam ventilauit lib. 1. cap. 9. num. 19. Quod tamen Marius totum pro more suo dissimulat. Pergamus autem ad exemplum Primatus huius in Actis Petri secundum. Habe tibi lector ex Mario nostro. *Quod primus Diaconorum ordinandorum mentionem fecerit ipse Petrus*. Num ita Marius? Certè Marius. Sed num Leonardus ille Marius, qui se scribit *SS. Theol. D. eiusdémque in vniuers. Colon. Profess. Ordin?* Non, credo; sed potius Leopardus Mæuius Cacologiæ profusor extraordinarius. Nam si Theologiam vnquam gustasset hic rabula, vel Petri nomen per concordantias Biblicas, Indicésque aucupatus fuisset, vel locum citatum (vtcunque numeri apice paulo deflexum Act. 7. pro. Act. 6. puduit enim locum verum designare) vel historiam ipsam consuluisset, nunquam certe per somnium cogitasset ibi Petri nomen, vel Primatus omen reperiri. Diaconorumne ordinandorum mentionem facit Petrus? Os hominis! Ingenium hominis! Calamum hominis,

Marius impostor scripturæ tribuit falsò quod non est in scriptura.

nis, imo anseris! Quis verò ibi mentionem facit Petri? *Convocantes duodecim multitudinem discipulorum dixerunt &c* —— *Et elegerunt Stephanum, &c. Act. 6.* Iam Mario nostro vnus Petrus non est vnicus Princeps Apostolorum, sed Geryone multiplicior duodecim Apostoli. Spero Colonienses habere aliquod statutum, vt si Professor ipsorum ordinarius deliret, aut stulteſcat, Cathedrâ deponatur, aliusque dignior surrogetur. Certè nisi melius ducerem mihi vt sim Domino meo à calamis, quàm vt tali Atheologo succedam, egò Coloniam colerem officioſe, ac eò aduolans ambirem eius Cathedram. Sed Colonia pergamus Hierosolymam. Ibi *Petrus in Concilio primus sententiam dixit Act. 15.* Fateor, Quis negat: Quid tum? Sed &(ita vult, ita somniat ordinarius professor Colonienſis) *quæstionem propositam determinauit.* Ego Amanuensis Lohetus, si ita scripsissem, dignus essem, qui pro calamo stiuam tractarem; si ita legissem verè essem mus ωαπάζων. Totum caput Act. 15. perlustro, nil tale de Petro reperio, quasi quicquam singularis determinationis sibi vni arrogante. Certe decretum prodijt ab omnibus: *Tum placuit Apostolis & Senioribus &c. vers. 22. Placuit nobis collectis in vnum &c. vers. 25.* Quod si quis vnus præ cæteris sibi iudicium assumpsisse, ac rem diiudicasse videri possit, certè Iacobus eius vrbis Episcopus hoc fecisse dici poterit. *Propter quod ego iudico &c. vers. 19.* Quos triumphos excitasset Marius noster si huiusmodi voculam vllam Petrus emisisset? Interim verò habet ex argumento Marij Ecclesia Romana quod inuideat Hierosolymitanæ, eò quod vrbs illa

illa tum fuerit ab autoritate Petri iudicatoria per ſpeciale aliquod priuilegium exempta, adeoque præſente Petro non dimiſerit Iacobus ſua Epiſcopalia, aut ſubiecerit, qui tamen ne Apoſtolus quidem ex duodecim erat, vt ſatis probauit Dominus meus ſuo lib. 2 cap. 2 num. 21. & ſeqq. Et de hoc Concilio Hieroſolymitano egit lib. 1. cap. 9. num. 25. ſicut & de Diaconorum ordinatione eodem lib. 1. cap. 11. num. 10.

Redeo ad te Mari, & quæro, cur iam Patres otioſè congeras num. 34 35. 36. 37. pro Primatu Petri quos vidiſti cap. 5. & cap. 10. ſolum perſonalem Primatum in Petro agnouiſſe? Aut ſi quam regiminis poteſtatem in eo poſuerunt, eam non niſi miniſterialem & relquis Apoſtolis communem poſuiſſe. Hippolytum nobis quendam Apocryphum obtrudis: ſed & ipſe in Petri enconijs, quicunque ille ſit, nihil aliud voluit niſi Petri confeſſionem fuiſſe petram fidei; Petrum vero primum diſcipulorum vocatione ætate, & dignitate. Origenes & alij plures quos profers Petrum vocant Principem Apoſtolorum eadem ratione vt & cæteri Patres quos vidiſti à Domino meo ſui primi libri, cap. 5. num. 1. collectos, & in ſequentibus explicatos. Et eiuſdem Origenis dictum de fundatione Eccleſiæ ſuper Petrum, & de cura paſcendarum ouium explicatum pariter vidiſti lib. 1. cap. 10. num. 13. Euſebij locum in homilia de reſurrectione, adde illis Patrum teſtimonijs, quæ Dominus Spalatenſis protulit, lib. 1. cap. 8. num. 11. & videbis illum tibi nihil prodeſſe plurimum obeſſe. Euſebij verò Chronographi locum explicatum habes eodem c. 13. num. 2.

Ad quaſtam probationem ex Patribus pag. 25.

Baſil-

Basilius commissam ædificationem Ecclesiæ Petro fuisse scribit eo sensu, qui explicatus est lib. 1. cap. 6. num. 45. 46. Nazianzenum explicauit tibi Dominus meus lib. 1. cap. 10. num. 4. Epiphanius Petrum credentem, & confitentem ibi exaggerat, cuius fides & confessio fuerit fundamentum omnium credentium: in hoc enim omnes, *inquit*, quęstiones, ac subtilitates fidei inueniuntur. Nam Christi diuinitas à Petri confessione edita omnes fidei terminat quæstiones. Encomia Petri à Chrysostomo prolata Primatum Petri iurisdictionalem nullum continent, sed prerogatiuas personales. Et presidentia super totius mundi Ecclesias, quã videtur idem Chrysost. Petro tradere, alia non est nisi cura Apostolica generalis, quam etiam reliquis Apostolis à Christo traditam agnoscit idem Chrysostomus, vt habes apud meum Dominum lib. 1. cap. 10. num. 7. & 14. Cyrilli dictum ibidem habes num. 6. explicatum. Ambrosij similiter dictum vidisti ibidẽ expositũ, num. 11. & tibi totum ereptum; sed omnia dissimulas, vt videaris abũdare testibus, qui tamen contra te deponunt. Cur Hieronymus Petrum vocet caput Apostolorum explicatum pariter vidisti lib. 1. cap. 7. num. 21. quam explicationem nisi dissimulares, non posses nisi stultè asserere te libentissime Hieronymi dictum accipere. Ille enim Petrum tantummodo ponit caput Collegij Apostolici, tanquam Decanum & Præsidem, vt inde ipsum Collegium Apostolicum haberet vnitatem. Demum circa dictum Augustini ex trac. 124. in Ioannem, aut rudentibus stolidior es, aut quocũq; impostore dolosior.

Pag. 29.

Vi-

Videras enim locum contra te à Domino meo pulcherrime exagitatum lib. 1. contra Eckium, & consequenter contra te lib. 1. cap. 7. num. 25. & tamen te nihil vidisse simulas. Sed insigniter in Optati dictis num. 39. hallucinaris, quæ nec intelligis, nec à meo Domino eorum intelligentiam discere voluisti, quam tibi planam exhibuit lib. 1. cap. 10. num. 18. Non enim Optatus de Romana cathedra loquitur, sed de potestate Ecclesiastica vniuersali, quæ sit dos & proprietas totius Ecclesiæ vniuersalis; à qua Ecclesia vniuersali cum tu & tui similes cæci, cæcum ductorem Papam secuti, secesseritis, & ex membro, infami rebellione, factum caput tyrannicum, vobis, contempta matre, proposuistis, ad hæreticos & schismaticos planè spectatis, contra quos merito insurgit Optatus. Marcus verò Antonius vniuersali Matri Ecclesiæ, cuius caput Christus, cuius membra singulæ Ecclesiæ, etiam Romana si suum illa schisma deserat, totus adhæret, & cathedræ illi, de qua agit Optatus, se submittit, cui nisi Papa quoque Marci Antonij collega se submittat, hæreticus erit, schismaticus erit, prophanus erit, non Christi minister, sed Antichristus, cuius tu, & tui socij tibi similes mancipia estis sordidissima.

Marius doctrinam Patrum non intelligit. pag. 30.

Descriptionem capitis qua id dicitur influxu suo regere, & gubernare totum corpus, oppugnas num. 40. & quia fateris eam D. Spalatensem Chrysostomo tribuere, debueras profectò ei obsequi, faterique eandem tota natura clamante veram esse, & apud Philosophos, & Medicos indubitatam, & sicut vera est in proprio capite

Ad primam impugnationem. pag. 32.

animalis, ita verissimam quoque oportet esse in metaphorico. *Sed pugnat*, inquis, *id cum Scriptura, & cum veritate.* Repete tamen, quæ ego, ex mei Domini doctrina te paulo ante docui in tuum num. 26. & videbis Reges temporales esse vera capita sui corporis politici, & vero influxu suos subditos regere: ac sanè interno, in suo genere; licet externum sit, quia etiam corpus quod ab his regitur totum est externum. Sicut artis, exempli gratia, pingendi, quæ tota externa est, internum officium meritò dicemus esse externam imitationem, & ita id quod de suo genere est internum arti, vel facultati, externum fit, si ars, vel facultas circa externa tantùm tota occupetur. Et in hoc plurimum differt à Rege Prælatus; hic enim licet habeat sub se quodammodo Ecclesiam visibilem, vt visibilis est, non potest tamen per veros de se internos influxus eam regere, opere tamen externo, quia non regit eam ex se, sua autoritate propria, & voluntate, suis legibus, sua propria & arbitraria directione, sicut facit Rex, sed purè ministeriali, & merè executiua, ac sanè absque vera iurisdictione. & coactione; instructione enim sola agit, & non coactione; vt plenè disces postea ex libro quinto, qui sub prælo iam sudat. Atque hæc ipsa directio externa, & visibilis, non fuit vnius Petri, sed omnium æquè Apostolorum, quod tu nunquam expugnasti, nec expugnabis: Ecclesia tamen, quę per accidens est visibilis, in sua ratione propria, vt est Respub. spiritualis, tota est interna; dirigitur enim ad finem supernaturalem, & per media supernaturalia

lia, quę verè & proprie de se sunt interna, & non externa, nisi pauca ex accidente, vt eodem lib. 5. instruêris: Influxus igitur verus capitis in veram Ecclesiam est omnino, & omni ex parte internus per se, quem directio externa, & visibilis non attingit. Qui igitur visibile caput ad visibilia sola visibilis Ecclesiæ admittit, is nullum aliud officium potest ei dare, nisi vt externa sola, per se, dirigat, puta congreget fideles ad conciones, ad synaxes, vt tali vel tali externo ritu in templis colatur Deus, vt templa tali forma extruantur, & similia. Quod si vlterius, quid sit ritè credendum doceat, ad charitatem homines excitet, &c. id non est interne influere, sed est ministerialiter, non ex propriis, sed ex Euangelio, & Scripturis credenda tantùm, & agenda monstrare; in quo non exercetur officium capitis per influxum, ne externum quidem, sed officium membri per ministerium: quod officium nõ fuit vnius solius Apostoli, sed æquè omnium: sicut etiam officium illud visibile rectiuum, circa visibilia.

Validum ergo est argumentum mei Domini suo libro 1. cap. 1. num. 10. contra Turrecrematam; & num. 16. contra Bellarminum, quod tu num. 41. impugnas, propositum, non posse caput visibile, quod ad externa sola dirigenda sit institutum, interna influere, puta fidei articulos determinare. Et vanum est quod tu obijcis num. 41. de *capite Reipub. determinante vocanda, & de Magistro scholæ proponente, & diuina cognoscenda.* Nam Rex determinat agenda [illegible] hominibus: quia tamen humana

Ad 2. impugnationem pag. 33.

actio etiam externa imperatur à voluntate interna, per accidens est Regi, quod voluntas interna concurrat: imo si homo posset operari externè ea, quæ Regiæ legis sunt, absque vllo vsu interno voluntatis, satis esset Regi: imo etiam nolentes cogit, non vt velint facere sed vt faciant, & nihil ad Regem vtrum necne flectat voluntatem subditorum, si voluntas interne flexa in opus externum non exeat. Et Ludimagister tuus ille (cuius exemplum ex tuo, puto, proprio munere tibi occurrit) neque est caput, neque rector in officio ludimagistri, neque influit in discipulos per modum capitis, sed per modum doctoris & instructoris; nam etiam dolium influit vinum in cantharum, non tamen propterea dolium est caput cantharorum. Quid tu hic de pædagogis inepti e pergis. multi sunt influxus, qui non sunt influxus capitis: sed nullum caput est formaliter caput nisi influat proportione sui corporis, suorúmque membrorum, externum externa, internum interna.

Ad retortionem. Pag. 34.

Retorques demum n. 42. argumentum in meum D. Spalatensem, non sanè solide, sed stolidè: si Concilium esset visibile quoddam caput ad sola externa Ecclesiastica regenda constitutum, res fidei nullo modo posset decidere: quia tamen non est caput ad sola externa, sed est corpus quod dicitur corporatum, ministeriale tamen & ad externa, & ad interna à Christo positum, quod non capitis, sed vnionis ministrorum, & operariorum, officium præstet. ideò, iuxta spiritum Christi quo regitur, potest, & debet, etiam circa perfectam notitiam rerum fidei occupari. Vide quàm citò ego potui tuam retortionem expedire, à qua se nunquam

quam meum Dominum expediturum ſtultè aſſerebas, quià non aduertiſti argumentum quod retorquebas ſupponere dicta Turrecrematæ,& Bellarmini, quibus illi Petro externum tantummodo regimen committebant, quia videbant internum influxum Petro non competijſſe, ſed ſoli Chriſto: Et poſtea voluerunt ſucceſſores Petri poſſe res fidei determinare. Meus ergo Dominus ad homines argumentabatur, quod tua ruditas non agnouit.

Hactenus tu Leonarde ſorex, vt vides, orulas chartarum aliquot in ipſa ſuperficie primi capitis primi libri mei Domini leuiter arroſiſti, ad interiora non penetraſti. Multa ſeriò in ipſo primo capite à Domino meo tractantur,& probantur, quæ tu omnia, vt tuis dentibus imparia ac ſolidiora (prudenter illud quidem) diſſimulas, & intacta, ac conſequenter apud te etiam firma, ac certa relinquis; Præcipua percurro: Paulus excludit ab Apoſtolis omnibus, etiam incluſo Petro, omnem veram rationem & relationem veri capitis quancunque num.29. Omnia vera officia capitis actu ipſo exercet Chriſtus ipſe adhuc in Eccleſia num. 3.4.12. Sacerdos verus in Eccleſia nullus eſt, præter Chriſtum, ergo nec caput. num. 13.14. Nulla neceſſitas cogit vt Eccleſia habeat caput viſibile num.15.16. Fundamenta capitis viſibilis à Bellarmino, & Sandero poſita ſubruuntur num. 17.18. 19.20.21. Ad ea tuenda mus hic ne gry quidem. Omnia quæ à viſibili capite pendere putant Monarchici,per miniſtros Chriſti ſimul & inſolidum, & non per vnum, plene exercentur n. 23.24. Tu prudens ad iſta nihil: Ego igitur ea tanquam vera,

Omiſſa à Mario per diſſimulationem.

& à te admissa tibi obijcio, tibi exprobro, tibi etiam oculos auertenti repræsento, & totum præcipuum totius primi capitis argumentum, vel teipso tacitè assentiente, integrum manere tibi significo: vt scias te in tuo toto primo capite aut nihil aggressum, aut piane actum egisse, ac crambe sępius recoctum apposuisse.

SECVNDI CAPITIS

Mariani nugæ.

IN secundo sui primi libri cap. Dominus meus Spalatensis proponit munus Apostolicum fuisse tantum ministeriale. Tu ais, n. 1. illum Apostolis negare *omnem potestatem gubernatiuam:* At ille hoc non negat; tu id comminisceris, quia vt imperitus, putas stare non posse nudum ministerium absolutè cum potestate vlla gubernatiua. Potestas enim gubernatiua principalis & autoritatiua negatur profectò vbi nudum est ministerium: sed potestas gubernatiua ministerialis non negatur, vbi instructiua duntaxat illa est, & directiua, non imperatiua nec coactiua; & hæc ad nudum spectat ministerium. Sed etiam ingeniũ tuum aut sua natura lusciosum, aut libidine obtrectandi excæcatum, non vidit verba hæc (*pro arbitrio*) de se non significare violentiam & tyrannidem, quod tu imperitè supponis, sed liberam & absolutam, ac independentem ab hominibus potestatem. Tu, credo, pro tuo arbitrio in domo tua viuis (nisi vt de Parasitis Plautus, *Nos tanquam mures semper alienum panem rodimus*, sic tu mus vetax & procax alienam

Pag. 36.

Imperitia Marij.

Quo sensu gubernent Apostoli.

Obtusi ingenij Marius.

enam oblingas quadram) oeconomiã enim tuę familiæ, si quam habes, pro tuo arbitratu regis: num propterea tyrannicè eam regis? Si Monarchæ absoluti subditos pro suo arbitrio regunt, hoc est, pro vt ipsi ex se, secundum suæ rationis dictamen regendos censeant: an propterea & ipsi sunt Tyranni? Quid ergo nugaris? Si Apostoli non potuerunt pro suo arbitrio, etiam iusto, & citra vim, ac tyrannidem fidelibus imperare, Gubernatores & Rectores absoluti non erant, sed meri ministri; & Dominus meus negat Apostolis verum regimen pro arbitrio, citra violentiam & citra tyrannidem, regimen sanè liberum, voluntarium, & absolutum, solumque relinquit ministeriale. Tu ergo, quia in harum rerum cognitione tua titubat ignorantia, ideo lubricum & inconstantẽ num. 2. mei Domini sermonem constantissimum, iudicasti: Sic temulentis firmissima ædificia circumuolui videntur. Et scias de regimine pro arbitrio in malo sensu sumpto, pro regimine tyrannico, D. Spalatensem nihil cogitare eo loci, neque loqui. Tu ergo frustra digrederis n. 3.4.5, in prohibitionẽ Dominatus tyrannici, in qua etiam digressione plurimum aberras: sed nescis modo, scies autem postea: doceberis enim lib. 5. etiam veram & legitimam dominationem Apostolis prohiberi, sustine tantisper. Neque interim vtaris n. 3. & n. 13. exemplo Christi, qui asserat se ministrare: Nam idem eriam dixit; vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim, Ioan. 13. & meus Dominus non ex sola voce, *minister*, sed etiam ex factis ipsis, & munere, ac officio Apostolorum in scripturis explicato, satis probauit id officium fuisse Pag. 37. & 47.

isse nudum ministerium, quas probationes tu conuellere nec sciuisti, nec potuisti, sed integras in suo vigore, vt multa alia, reliquisti, et nugas tantùm hac de re multiplicas num. 7.

Pag. 41.

Neque antithesim Domini mei positam suo num. 10. intellexisti tuo num. 5. Non enim opponit tyrannidem nudo ministerio, quasi velit, sicut tu imperitè putas, nudum esse ministerium, vbi non adsit tyrannis: Sed ex Lucæ 12. probat omnes Apostolos fuisse Christi nudos seruos, & ministros, ac Oeconomos, qui familiæ fidelium cibum spiritualem ministrare deberent: ac propterea iratum fuisse meritò patrem illum familias illi seruo, qui, cum seruus esset, vsurpauit Dominium, & tyrannidem in familiam & conseruos; vt ex hac parabola intelligerent Apostoli neminem eorũ debere in conseruos suos quocũq; dominio insurgere: nam si id quis eorum faceret, non nisi tyrannicè esset facturus; conseruus enim in conseruum neque iustum dominium, neque tyrannidem iniustam debet exercere, imo eo ipso, quo prætendat iustum, & non tyrannicum dominatum, erit nihilo secius tyrannus, & potestatis, quam nullam habet, vsurpator, cum nihil aliud ei à Patrefamilias committatur, nisi nudum ministerium. Tu quoque intelligeres ex eadem parabola tuum Papam esse potissimum, illum conseruum, qui in conseruos dominatum, & consequenter tyrannidem contra præceptum Domini vsurpauit; qui sanè non distribuit cibum familiæ Christi, sed rapit, vt se suamque priuatam familiam replear. Tu bene nosti, sed pessime assentaris. Cur verò tu impostor fraudulentus arrogan-

Pag. 39.

rogantiam tribuis D. Spalatensi, asseriſque num. 6. eum se *molossum in Ecclesia facere?* cur tam impudenter mentiris? Se ille modestissime catello, qui molossos excitet, non molosso comparauit in sua expositione sui Consilij num. 13. & hoc insigni suo candore: cum re vera generosissimus ipse sit molossus, & lupum tuum, qui Christi gregem dissipat ac dispergit, morsibus insectetur iustissimis, & Deo propitiante, fortasse tandem conficiet, vt grex liberetur, & contra hunc molossum tu sorex miserabilissime, & contemptissime audes ringere? Marius impostor fraudolentus et mendax. Pag. 40.

Quæ habes ab octauo num. ad 20. inclusiuè, quia partim nihil ad præsentem controuersiam attinent, partim cum tractatu mei Domini conueniunt, partim salutaria sunt pro concione ad Clerum (quem in vsum forte à te olim in chartas congesta sunt) tibi conceduntur, vt etiam tu possis dicere, *Nos poma natamus*, Propositio tamen tua quarta num. 21. Domino Spalatensi contraria, stare non potest; neque eam tu probas, sed sophistam agis, & sanè sophistam etiam imperitum. Digreditur ociosè Marius. Pag. 55. Sophista Marius, et Sophista imperitus.

Quid tu de hæresibus circa potestatem Ecclesiæ, quam ad excommunicandum habet, somnias, & confingis? Mentem Domini mei optime assequi potuisti ex plurimis quatuor librorũ iam editorum locis passim, hanc videlicet potestatem ipsum in Prælatis admittere, & tueri, præsertim verò lib. 1. cap. 7. num. 12. & cap. 12. num. 10. & n. 41. & in sequentibus libris sæpe; sed de ea proprie tractatur lib. 5. qui nunc iam cuditur: breui illum videbis: & toto erras cælo dum putas num. 22. ex potestate excommunicandi veram guber-

Pag.56. gubernatiuam potestatem posse probari. Si hac in re instrui cupis, sustine tantisper dum secundum volumen in lucem prodeat: Ac interim scias te in probanda Apostolorum gubernatiua potestate, oleum & operam perdere. Christus, inquis, eam habuit, imo & habet supremam; sed eam communicatam Apostolis, falleris. At Christus, inquit, ad Apostolos, ais: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Ioan. 20. Itane? At pater misit Christum mūdi Redemptorem, ergone Christus etiam misit Apostolos mundi Redemptores? Insanus es si id ex eo dicto colliges: insanus etiam eris si colliges quemque Apostolorum à Christo missum cum potestate, & dignitate Capitis Ecclesiæ, Regis, Domini, et Gubernatoris. Ligandi et soluendi potestas est circa peccata duntaxat, nihil id pertinet ad potestatem rectiuam, quę non sit pure ministerialis, vt lib. 5. explicatur. Nisi et hanc stultitiam protuleris, factos esse Apostolos, Christi et Ecclesiæ lictores, ad ligandos homines destinatos: Alioquin nescio quomodo ligare & soluere singulos, sit gubernare vniuersos: quod si veneris ad allegorias ligandi & soluendi, sudabis antequam probes, etiam petita ope ex controuersijs Bellarmini, sub potestate ligandi & soluendi omnipotentiam Papalem contineri. Pastoris est, inquis, num. 17. lasciuientes oues compescere. At ignoras diuersitatem inter oues rationales, & stolida pecora: Ecclesia suas oues monendo, hortando, increpando, arguendo, & tandem excludendo compescit. Sed nihil horum habet effectum, nisi ouis liberè et voluntariè sinat se compesci. Hæc

Ad refutationem Marij.

Pag.57.

quoque

quoque lib. 5. explicantur. Qui vos audit me audit, locum Lucæ 10. affers: Hæc tamen ad verbum prædicationis spectant: & quod addis de Regibus, extra rem addis: nam negatur tibi Prælatos Ecclesiæ in suo officio & munere pares esse Regibus. Iam enim tibi ostendi in capite præcedenti Reges habere à Deo veram & propriam gubernationem principalem, non ita Prælatos. Omnis anima subdita esto, ait Paulus Rom. 13. & tu n. 25. Sed de solis loquitur terrenis potestatibus, quod tibi clarissime ostenditur lib. 6. cap. 4. in spiritualibus verò hoc est Ecclesiasticis, subiectio est merè voluntaria, & potestas etiam Ecclesiastica est à Deo, sed merè ministerialis. Præcepta Apostolorum custodienda, quæ affers num. 26. ex Act. 15. & 16. non erant præcepta regiminis et gubernationis propriè, sed institutionis circa seruanda, vel non seruanda legalia; & hæc præcepta erant explicationes iuris diuini ad salutem animarum, non iuris humani ad imperium humanum, humanamque gubernationem; & Chrysostomus imperium sumit pro simplici assertione absque probationibus, et argumentationibus, quia spiritu sancto dictante quid faciendum, quid fugiendum esset simpliciter & absolutè dictabant. Virga quam Paulus minatur, est correptio, et obiurgatio, aut excommunicatio, siue etiam potestas miraculorum, quę non est ordinaria in Ecclesia, id videbis lib. 5. cap. 2. et 3. Accusationes aduersus presbyteros apud Paulum, non sunt proprie iudiciarię, & sub vera iurisdictionali potestate, sed ad solam faciendam legitimam correptionem, vt explicatur eodem lib. 5. ca.

Pag. 58.

Pag. 59.

Pag. 60.

5.ca.2. Manet ergo in Apostolis fuisse nudum ministerium. Subiectio verò illa et quædam subordinatio inter presbyteros, Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et Patriarchas, fusissime tibi explicata est, iure Ecclesiastico, libro tertio, per plura capita; & de ouibus ac pastoribus habes explicationem lib.1.cap.8.num.6. Locum Hieronymi nihil tibi fauentem discussum abunde habes lib.4.cap.10. num. 86. et seqq. quæ omnia dissimulas, et in ventum verba totus nugator diffundis. Hoccine est confutare libros? Quid respondes ad loca insignia Patrum nudum ministerium in Apostolis agnoscentium, & profitentium, Optati, n.11. Chrysostomi nu.12. & seqq. Aug.num.15. et 16. et 17. Hieronymi n.18. et aliorum?

Pag.61.

Marius nugator.

Omissa callidè a Mario.

Tertii Capitis *Mariani ampullæ difflatæ.*

Obtusitas Marij.

OBtusus es, Leonarde, qui nescis num.1. ista componere: Apostoli nullam habuerunt autoritatiuam potestatem regendi Ecclesiam cum vera iurisdictione; &, Apostoli habuerunt magnam potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem, ministerialem tamen, cum aliqua similitudinaria, & impropria iurisdictione, & in hac potestate, atque in hac iurisdictione fuerunt omnes inter se æquales. Expecta tamen librum quintum, is enim cap.3.tuæ in hoc medebitur ruditati.

Logicæ Physicæque expers Grammaticus Marius.

Distinctionem tuam num.2. inter æque, & æquam, pueros doce, à Logicis tamen discе, terminum modalem, & posse afficere subiectum, &

& prædicatum; & à physicis, eandem rem esse realiter actionem, & passionem; & si quid tribuitur rei vt actio est, posse pariter intelligi, ex vi loquendi, tribui etiam eidem rei vt passio est. Modificatio itaque illa, æquè, tam potest conuenire subiecto, nimirum Christo, & actioni Christi, prout à Christo exit, quàm prædicato, Apostolis, & eidem actioni prout recipitur in Apostolis. Dum ergo Dominus meus in ipsa summâ Capitis expressè ponit *Ecclesiam Apostolis omnibus fuisse æquè à Christo commendatam*, ac rationibus hoc confirmans contendit Christum æquè Apostolos potestate ornasse, non significat æque omnium instructorem esse Christum actiuè, sed etiam æquè instructos passiuè esse Apostolos. Et ipse probe intelligebas priorem sensum non esse controuersum, sed per se patentem; & circa posteriorem totum conatum Domini mei versari, vt ostendat, & probet Apostolos æqua potestate à Christo donatos, vno eodemque penitus officio præditos, ad vnum idemque munus ex æquo destinatos, & instructos; Christum enim alios docentem, & instruentem, & ornantem sub magno discrimine debuisti considerare: vt aliter doceret, instrueretque fideles in communi, vt pro se scirent, & intelligerent; aliter discipulos, quos aliorum doctores designabat: & aliter sanè omnes discipulos in communi, quos aliorum Magistros esse quoquo modo volebat, aliter illos 12. quibus solis verè, propriè, & fixè suam Ecclesiam erat commissurus & fundandam, & instruendam, licet ex illis, sua culpa, Iudas Iscariotes defecerit. De his ergo solis 12. & seorsim de 13.

Pau-

Paulo, conabatur probare Dominus meus cum Patribus, Christum eos, vt mundi Magistros, & doctores, æquè erudijsse, docuisse, spiritu suo instruxisse; & æqualitatem hanc ponit in effectu, non in sola causa; non in sola actione, sed in passione: & æqualitatem sane non Mathematicam, neque metaphysicam, sed moralem. Atque ex hac æqualitate instructionis tam à Christo actiue, quam passiuè in Apostolis, argumentum sumit meus Dominus Apostolos omnes æquè fuisse ad regimen ministeriale Ecclesiæ destinatos, & non magis vnum quam alium, quia non magis vnus quam alius vt Doctor & Magister futurus instruebatur. Non igitur ex quacunque æqualitate instructionis Magistralis data Apostolis ex æquo, colligitur ex Apostolis non vnum magis quam alium ad ministeria Ecclesiæ præstanda fuisse destinatum: neque ex identitate substantiali Spiritus Sancti, qui aut promittitur, aut datur fidelibus Ioan. 14. Rom. 5. Rom. 8. colligi potest quod tu obijcis num 4. quia ibi sermo est de spiritu, secundum dona omnibus fidelibus communia: At meus Dominus cum Patribus considerabat Spiritus plenitudinem donorum specialium ad Ecclesiam Christi ministerialiter fundandam & regendam, qui communis fuit, non omnibus fidelibus, sed solis Apostolis, & ex æquo non vt dixi mathematicè, sed moraliter: ita vt necessarius ad hoc spiritus specialis omnibus, & singulis Apostolis fuerit æquè datus: licet inter eos secundum magis & minus gradus admitterentur, non ratione officij, & muneris, sed ratione executionis, & laboris. Frustra itaque obijcis

ijcis num. 5. Marcum, Lucam, & Timotheum, Titum, Silam, & alios 72. nam isti non fuerunt à Christo instructi, nec edocti, neq; probare potes eos fuisse ex 72. discipulis: & propterea non sunt æquales Apostolis: & septuaginta illi cum non fuerint à Christo assumpti, vt essent Ecclesiæ suę post ipsius ascensionem fundatores, & Rectores, vt habes explicatum lib. 1. cap. 2. num. 3. & sæpe alibi, ac præsertim lib. 2. cap. 3. neque fuerint tam perfectè, & tam exactè ad ministerium, & Magisterium instructi, ideo neque fuerunt Apostolis pares.

Quàm putida sunt reliqua omnia quæ tu à num. 5. ad finem vsque tui tertij capitis verbosè congeris? Nihil profectò aliud facis, nisi ex Bellarmino, alijsque Hieromonarchicis scriptoribus, Primatus Petri, & Papę, argumenta aliquot repetis, et inculcas, quæ tamen omnia et considerata sunt à Domino Spalatensi, et soluta, imo varijs locis etiam primi voluminis iam editi in puluerem redacta; quorum tamen solutiones, tu neque innuis, neque confutare conaris. Isthuc nimirum est sapere; Silendo præterire, quod argumentando nequis refellere. Cur prolixè recitas num. 6. locum Cypriani à Domino meo proęqualitate adductum? Cur nu. 8. Anacleti, et alios nominas duntaxat Patres, quorum autoritate maximè innititur ipse meus D. Spalatēsis, si ad singula nihil eras responsurus? Caietanum, Baronium, Bellarminum nil lędi asseris, et tamen eorum rationes vagas et leuiculas, ac impertinentia dicta à Domino meo confutata ab obiectionibus vehementissimis non vindicas. Leonem ab ipso con-

Marius graues obiectiones dissimulat.

contemni quereris, et falso quereris: nam Dominus meus illum cap. 3. nu. 24. 25. quàm maximè fieri potest, tuetur (licet Leonis autoritas meritò suspecta in causa propria esse posset) & Leonem sibi nolle habere aduersarium aperte profitetur.

Cupis te à tot nexibus, quibus te Patres à Domino meo allati constringunt vtcunque euoluere, sed incassum niteris, diuerticulum tuum num. 3. & num. 9. ad distinguenda in Apostolis, quæ communia sunt, ab ijs quæ propria; duplicis considerationis, vt potestas consideretur, ad quid detur, & modus quo datur; si tibi esset peruium, non esset incommodum: sed occlusum inuenisti, & nihilominus in angulum vndique clausum te compingere voluisti, vt verè mus in muscipula captus millies irrequietus muscipulam ipsam oberres, ac crates corrodas, sed rimulam, qua euadas, non inuenias. Potestatem Euangelizandi, Christi mandata publicandi, peccata retinendi, & remittendi æqualem in Apostolis agnoscis, eodem num. 9. Sed aliam potestatem expiscatus es num. 10. qua Apostoli poterant multa statuere in Ecclesia, & de illis tamen dicere *præceptum Domini non habeo* 1. *Cor.* 7. Sed cur reticuisti verba Apostoli, quæ statim subiecta sunt; *Consilium autem do.* In talibus igitur non præcipiebant, sed hortabantur, rogabant, monebant, docebant, instruebant. Dixi te visurum ista distinctiùs explicata lib. 5. cap. 2. et 3. Dixi etiam dogmata et decreta Apostolorum fuisse declarationes iuris diuini, non humanas constitutiones: et hæc lib. 8. tractabuntur. Vltio inobedientiæ,

Marius mus in muscipula captus.

quam

quam ponis num. 11. est inobedientię contra diuina, non contra Ecclesiastica præcepta: & vltio vel per excommunicationem, quę non est coactiua, vel per miraculosas pœnas, quæ non sunt ordinariæ in Ecclesia. Potestas assignandi, & limitandi diœceses, est Ecclesiastica, quæ non per præceptum coactiuum, sed per simplicem commendationem committebatur, & liberum interim erat cuique tales curas suscipere, & non suscipere. Et postea Ecclesia in talibus Canones addidit, qui sunt regulæ, non leges, vt lib. 8. explicabitur: & qua ratione hæc sint iurisdictionis Ecclesiasticæ, habes lib. 3. per plura capita; & plura habebis lib. 5. & de potestate assumendi socios quæ est potestas ordinatiua tractatum vidisti lib. 2. cap. 4. quæ etiam potestas est merè ministerialis: cui tractatui tuus numerus 12. & 13. præsentis capitis, est aliquid multo minus, quàm sit culex comparatus Elephanto. Eò ergo ista differas.

Prima tua propositio num. 14, cum tota probatione num. 15. 16. optima est, quam toto cap. 3. meus Dominus probat, et quando ei tua illa verba legi, videlicet, *Ne hodie quidem Episcopi Vicarij sunt Romani Pontificis*, risit, et tibi fausta precatus est, optauitq vt hic apud nos adesses aliquantisper, vt tibi ob istuc dictum demulceret caput, voluit interim te monerem, vt legas quę ille scribit lib. 2. cap. 5. & caueas tibi ab Innocentio tertio, & ijs omnibus qui Papæ tuo plenitudinem tribuunt potestatis, Episcopis verò non nisi partem solicitudinis. Si ab his steteris, quid tibi, quæso, aliud erunt Episcopi, quam meri Papæ vicarij? Sed

videamus, quæso, qua ratione ex modo habendi potestatem, inæqualitas sit inter Apostolos.

Scimus peculiariter Christum Petro curam Ecclesiæ commendasse, scimus super Petrum dici ædificandam esse Ecclesiam, scimus pro Petro oratum esse à Christo, vt eius fides non deficiat, eique fratrum confirmationem commendatam, vt tu pro tui modi explicatione in danda, vel accipienda potestate iacis fundamenta num. 16. Sed scimus etiam te horum vidisse explicationes, vt fateris num. 17. quæ sanè explicationes nullum modum diuersum assignant habendi potestatem in Petro, atque in quocunque alio Apostolorum. Quomodo ergo ex illis locis tu colligis diuersitatem in modo habendi? Profectò cedis, das manus, & inde te statim ad putidissimum, & toties à Domino meo comminutum argumentum successionis proripis num. 17. Dari nimirum Petro successionem in plenitudine potestatis, non item alijs, & hoc ad retinendam Ecclesiæ vnitatem.

Vnitas Ecclesiæ.

Vnitas tamen Ecclesiæ, vt supra te monui, passim primo volumine mei Domini, non ab vnitate Papę, sed ab vnitate fidei, cōcordię, charitatis, inter Ecclesias particulares, sub vno Christo, sub eodē Euangelio, sub ijsdem Sacramentis, est petenda.

Quomodo verò sit in Ecclesia Cathedræ vnitas, quam num. 18. requiris, docet te quidem Optatus, sed eum non intelligis: consule D. Spalatensem lib. 1. cap. 10. num. 18. & bene pondera quæ idem tractat lib. 4. cap. 7. & videbis planè te hallucinari, dum vnam cathedram particularem somnias esse vniuersalem, vnum Principem, vnum Caput præter Christum. Id enim quod in

Marius petit Principium

quæ-

quæstione est, tu pro argumento tuæ probationis profers. Et de successionis modo, ac necessitate quam tangis num. 18. ac 20. hoc est, quibus, & qualis detur successio Apostolis, habes plenum tractatum lib. 2. cap. 1. Cur præuertis, imo peruertis omnia? Cur non singula suis locis tractas? Cur non Domini mei tela eodem, quo proiecta sunt, ordine depellis, si modo possis? quod si nequeas, cur non apertè, & ingenuè das manus, aut campo cedis? Pro fundamento ponis in hoc 3. capite, quod scis esse penitus dirutum, & euulsum alio loco à Domino Spalatensi. Consolida prius tua fundamenta, eaque ab obiectionibus vindica, deinde illis vtere. Cur postulas num. 19. specialem autoritatis collationem factam Petro, ex eo quod specialis etiam fuerit promissio, si promissio tota est moralis, & mystica, extra omnem Petri Primatum, & collatio est historica communis omnibus? Huc tu sæpe recurris, in quo scis vel maximè à Domino meo laboratum, vt hoc Hieromonarchicorum vnicum & singulare fundamentum euerteretur. Quod ita euersum est, vt tu nihil pro ipsius restauratione proferre potueris: quod inferius suo loco cap. tuo 7. num. 36. planè apparebit.

Marius sine Methodo.

Videras tractatum de successionibus tuum cerebrum susque deque subuertentem, vt videreris simplicioribus aliquo modo te ab eo explicuisse, proteruiam opponis num. 21. Domino Spalatensi: sed age rebus, non verbis; quæ dixit Dominus meus, ea egregiè probauit, tu ipsius probationes intactas prætermittis, & insulsas protrudis obiectiones, & semper, quæ in quæstione

sunt, ad tuas probandas ineptias assumis. De præsidentia in Concilijs; de conuocatione Conciliorum; de iudicandis Episcopis, etiam Patriarchis; de Conciliaribus tractationibus vigent acres controuersiæ, & tu sicco pede eas pertransis, imo præteruolas, & tanquam certissima supponis, quæ sub iudice ventilantur. Quibus certe controuersijs quo te immisces magis, eò fœdiùs insciitiam prodis tuam; maxime autem si prodituris Domini mei super hac materia lucubrationibus calamum admouere, cœlo vt cepisti infesto, ausus fueris. Nunc verò ex ijs, quæ ego scribendo, & Domini mei dictata excipiendo didici, moneo te, Concilia prima Oecumenica ferme omnia præsides habuisse, modo vnum, modo alium ex primis Patriarchis; legatos Romani Patriarchæ interfuisse interdum, sed non præsedisse; Concilium Sardicense fuisse schismate diuisum, ideoque nullius autoritatis; Concilia prima ab Imperatoribus fuisse conuocata propria ipsorũ autoritate; in Ephesino Concilio præsidentiam fuisse propriam Cyrilli, ratione sui Patriarchatus, non ratione legationis Romanæ; Cuiusque Patriarchæ in Concilijs generalibus sententias fuisse expetitas, non vt regulas, sed vt consensum: Sed tibi hæc omnia peregrina sunt, & in illis mihi potius psittacum quàm hominem refers. Neque verò est quod hic diuertas num. 21. 22. in primamatum Episcopi Romani, habebis in eo ossa dura rodenda, si perueneris ad librum quartum. Consiste iam in Primatu Petri; si modo consistere possis in loco tã lubrico, præsertim cum tibi cerebrum adeo sit vertiginosum, vt per Domini mei

Cerebrum vertiginosum Marij.

mei librum hinc inde sine ordine aut lege circumroteris.

Verum itaque est Patres æqualitatem plenam inter Apostolos agnouisse in toto officio Apostolico, totaque etiam si qua est, iurisdictione in Ecclesiam: & si quid de inæqualitate inuenerunt, id totum fuit priuatum, personale, ac morale, citra quemcumque Petri Primatum autoritatiuum. Quid tu num. 23. excogitas ad dicta Patrum? Cyprianum à meo Domino mutilum citatum conquereris. Veteres codices ille sequutus est, puros & defæcatos: quos tu obijcis? num. 26. Morelij & Manutij, adde etiam Pamelij. At qui sunt isti? Quando nati? Quales critici? Fœces lutulentas, non faces luculentas Cypriani operibus addiderunt. Sed non te distinebo: habes locum Cypriani à te num. 26. pluribus agitatum, fusè à Domino meo lib 1. cap. 7. num. 18. lector prudens comparet tuam, cum Domini mei interpretatione, & iudicet: quam Domini mei interpretationem tu videras, & eam totam dissimulas hic, vbi nullo modo erat dissimulanda; tua verò tota interpretatio per illam ruit, & dissipatur. Est profectò intolerabile quod ad Romanam Ecclesiam, & Cathedram velitis trahere ea, quæ Cyprianus apertissime de tota Ecclesia profert vniuersali. Non Marcus Antonius contra Cathedram Petri insurrexit, absit, Cathedram Petri, quæ est etiam Cathedra omnium Apostolorum, hoc est ipsam Ecclesiam vniuersalem Marcus Antonius veneratur, & si vultis Cathedram Petri particularem, esse Romanam sedem, eam quoque quatenus est Cathedra Petri ex corde

videamus, quæso, qua ratione ex modo habendi potestatem, inæqualitas sit inter Apostolos.

Scimus peculiariter Christum Petro curam Ecclesiæ commendasse, scimus super Petrum dici ædificandam esse Ecclesiam, scimus pro Petro oratum esse a Christo, vt eius fides non deficiat, eique fratrum confirmationem commendatam, vt tu pro tui modi explicatione in danda, vel accipienda potestate iacis fundamenta num. 16. Sed scimus etiam te horum vidisse explicationes, vt fateris num. 17. quæ sanè explicationes nullum modum diuersum assignant habendi potestatem in Petro, atque in quocunque alio Apostolorum. Quomodo ergo ex illis locis tu colligis diuersitatem in modo habendi? Profectò cedis, das manus, & inde te statim ad putidissimum, & toties à Domino meo comminutum argumentum successionis proripis num. 17. Dari nimirum Petro successionem in plenitudine potestatis, non item alijs, & hoc ad retinendam Ecclesiæ vnitatem.

Vnitas Ecclesiæ.

Vnitas tamen Ecclesiæ, vt supra te monui, passim primo volumine mei Domini, non ab vnitate Papę, sed ab vnitate fidei, cōcordię, charitatis, inter Ecclesias particulares, sub vno Christo, sub eodē Euangelio, sub ijsdem Sacramentis, est petenda.

Quomodo verò sit in Ecclesia Cathedræ vnitas, quam num. 18. requiris, docet te quidem Optatus, sed eum non intelligis: consule D. Spalatensem lib. 1. cap. 10. num. 18. & bene pondera quæ idem tractat lib. 4. cap. 7. & videbis planè te hallucinari, dum vnam cathedram particularem somnias esse vniuersalem, vnum Principem, vnum Caput præter Christum. Id enim quod in

Marius petit principium

quæ-

quæstione est, tu pro argumento tuæ probationis profers. Et de successionis modo, ac necessitate quam tangis num. 18. ac 20. hoc est, quibus, & qualis detur successio Apostolis, habes plenum tractatum lib. 2. cap. 1. Cur præuertis, imo peruertis omnia? Cur non singula suis locis tractas? Cur non Domini mei tela eodem, quo proiecta sunt, ordine depellis, si modo possis? quod si nequeas, cur non apertè, & ingenuè das manus, aut campo cedis? Pro fundamento ponis in hoc 3. capite, quod scis esse penitus dirutum, & euulsum alio loco à Domino Spalatensi. Consolida prius tua fundamenta, eaque ab obiectionibus vindica, deinde illis vtere. Cur postulas num. 19. specialem autoritatis collationem factam Petro, ex eo quod specialis etiam fuerit promissio, si promissio tota est moralis, & mystica, extra omnem Petri Primatum, & collatio est historica communis omnibus? Huc tu sæpe recurris, in quo scis vel maximè à Domino meo laboratum, vt hoc Hieromonarchicorum vnicum & singulare fundamentum euerteretur. Quod ita euersum est, vt tu nihil pro ipsius restauratione proferre potueris: quod inferius suo loco cap. tuo 7. num. 36. planè apparebit.

Marius sine Methodo.

Videras tractatum de successionibus tuum cerebrum susque deque subuertentem, vt videreris simplicioribus aliquo modo te ab eo explicuisse, proteruiam opponis num. 21. Domino Spalatensi: sed age rebus, non verbis; quæ dixit Dominus meus, ea egregiè probauit, tu ipsius probationes intactas prætermittis, & insulsas protrudis obiectiones, & semper, quæ in quæstione

sunt, ad tuas probandas ineptias assumis. De præsidentia in Concilijs; de conuocatione Conciliorum; de iudicandis Episcopis, etiam Patriarchis; de Conciliaribus tractationibus vigent acres controuersiæ, & tu sicco pede eas pertransis, imo præteruolas, & tanquam certissima supponis, quæ sub iudice ventilantur. Quibus certe controuersijs quo te immisces magis, eò fœdiùs inscitiam prodis tuam; maxime autem si prodituris Domini mei super hac materia lucubrationibus calamum admouere, cœlo vt cępisti infesto, ausus fueris. Nunc verò ex ijs, qua ego scribendo, & Domini mei dictata excipiendo didici, moneo te, Concilia prima Oecumenica ferme omnia præsides habuisse, modo vnum, modo alium ex primis Patriarchis; legatos Romani Patriarchæ interfuisse interdum, sed non præsedisse; Concilium Sardicense fuisse schismate diuisum, ideoque nullius autoritatis; Concilia prima ab Imperatoribus fuisse conuocata propria ipsorũ autoritate; in Ephesino Concilio præsidentiam fuisse propriam Cyrilli, ratione sui Patriarchatus, non ratione legationis Romanæ; Cuiusque Patriarchæ in Concilijs generalibus sententias fuisse expetitas, non vt regulas, sed vt consensum: Sed tibi hæc omnia peregrina sunt, & in illis mihi potius psittacum quàm hominem refers. Neque verò est quod hic diuertas num. 21. 22. in primamatum Episcopi Romani, habebis in eo ossa dura rodenda, si perueneris ad librum quartum. Consiste iam in Primatu Petri; si modo consistere possis in loco tã lubrico, præsertim cum tibi cerebrum adeo sit vertiginosum, vt per Domini mei

Cerebrum vertiginosum Marij.

mei librum hinc inde sine ordine aut lege circumroteris.

Verum itaque est Patres æqualitatem plenam inter Apostolos agnouisse in toto officio Apostolico, totaque etiam si qua est, iurisdictione in Ecclesiam: & si quid de inæqualitate inuenerunt, id totum fuit priuatum, personale, ac morale, citra quemcumque Petri Primatum autoritatiuum. Quid tu num. 23. excogitas ad dicta Patrum? Cyprianum à meo Domino mutilum citatum conquereris. Veteres codices ille sequutus est, puros & defæcatos: quos tu obijcis? num. 26. Morelij & Manutij, adde etiam Pamelij. At qui sunt isti? Quando nati? Quales critici? Fœces lutulentas, non faces luculentas Cypriani operibus addiderunt. Sed non te distinebo: habes locum Cypriani à te num. 26. pluribus agitatum, fusè à Domino meo lib 1. cap. 7. num. 18. lector prudens comparet tuam, cum Domini mei interpretatione, & iudicet: quam Domini mei interpretationem tu videras, & eam totam dissimulas hic, vbi nullo modo erat dissimulanda; tua verò tota interpretatio per illam ruit, & dissipatur. Est profectò intolerabile quod ad Romanam Ecclesiam, & Cathedram velitis trahere ea, quæ Cyprianus apertissime de tota Ecclesia profert vniuersali. Non Marcus Antonius contra Cathedram Petri insurrexit, absit, Cathedram Petri, quæ est etiam Cathedra omnium Apostolorum, hoc est ipsam Ecclesiam vniuersalem Marcus Antonius veneratur, & si vultis Cathedram Petri particularem, esse Romanam sedem, eam quoque quatenus est Cathedra Petri ex corde

colit, & honore prosequitur, & charitate fraternitatis complectitur. Sed tolerare non potest, vt ex Cathedra fiat solium, fiat telonium, fiat mensa nummulariorum, fiat Cathedra pestilentiæ, non culpa Cathedræ, sed culpa sedentis infaustè in Cathedra. Sit sedens in ea Cathedra vt Petrus, non plura vsurpet quam Petrus habuerit, & eum tota fraternitas totius orbis Christiani complectetur.

Cathedra Romana.

Ab Hieronymo, Augustino, Victore, Didymo, etiam à Caietano Eckio & Bellarmino, vt anguilla, statim Marius noster elabitur, non poterat ijs satisfacere, qui tamen æqualitatem etiam iurisdictionis agnouerunt. Omnia meo Domino à num. 9. vsque ad finem tertij capitis integra & illibata relinquit, in quibus tamen neruum suæ probationis de æqualitate ex Patribus, posuit. Omisso itaque suo filo in Dominum meum excandescit, quod Romanis Pontificibus Petrum nimium extollentibus, vt inde se etiam extollerent, non esse nimium credendum num. 24. dixerit & lib. 4. cap. 3. n. 25. dicta quorundam Pontificum Romanorum suum Papatum nimium extollentia parui fecerit. Blasphemum inclamat meum Dominum, quia Papas in propria causa non debere esse iudices, cum sint potius rei, asseruerit. Blasphemia certè propriè dicta non est nisi in Deum, igitur Marius Papam Deum esse supponit. Est igitur Marius non modo blasphemus verè, & propriè. sed etiam proprijssime idololatra. En vltimi Hieromonarchicorum conatus quo tandem tendunt, nisi vt Papam verum Deum in terris faciant?

Retorques argutè ô mi in Logicis tyruncule, argumen-

argumentum D. mei, quo infirmabat dicta Romanorum Pontificum in propria causa: & ais, ex tali argumento sequi totos mei Domini libros decem corruere, vbi Episcopi Episcoporum causam tuentur. Næ tu ridiculus etiam in hoc mus es: legeras profectò apud Dominum meum lib. 4. cap. 10. n. 53. se Paparum dicta in propria ipsorum causa contemnere vt suspecta, *vbi*, inquit, *præsertim agitur autoritate: nam si sua dicta bonis rationibus aut scripturis confirmarent, illæ essent discutiendæ.* Hæc ille. Nunquid verò Dominus meus, vbi de Episcoporũ officio ac æqualitate agit, sibi, tanquã edicta prætoria proferenti, aut oracula ex tripode fundenti absolutè parendum, fidemque adhibendam postulat? Non ita amens est, non ita Papistat. Huic autem Marianę retortioni hic ipse quem citat locus, si ipsi Scriptori Domino Spalatensi applicetur plene respondet, videlicet, quod spectat ad D. Spalatensem, ipsum libenter pati, vt nemo stet suæ nudæ autoritati, suisque ex propria tantùm autoritate prolatis definitionibus. Quod verò spectat ad alios Patres qui fuerint Episcopi, illi sacram diuinam scripturam interpretantur, & solam Dei causam tractant, non diuertunt ad propriam dignitatem euehendam, neque de illa disputant, verum duntaxat sensum diuinæ scripturæ inquirunt, aut facta historica narrant, & Ecclesiæ definitiones ponunt & tuentur. Non sic Romani Pontifices recentiores, qui pro tribunali sedentes sua sola autoritate, etiam contra scripturam, & veteres Patres pro se pronunciant & definiunt.

Subiectionis impatientiam obijcis n. 26. D. Spalatensi, ille iure diuino & Patrum consensu, Episcopos

copos ab omni inter se subiectione liberat, quia Apostoli ab omni inter se subiectione erant liberi, vt habes lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 1. n. 23. 24. Sed, quæso te, ne euageris extra subiectam materiam de æqualitate Apostolorum: ne tot quæras diuerticula, Petri primatum supra Apostolos quære, mitte tuas frigidas adhortationes de reddenda obedientia idolo Romano. Cypriani sensum disce quem ignoras, vel te ignorare simulas, habes verum sensum, nihil ad tuam aridam adhortationem facientem, apud D. meum lib. 4. cap. 10. n. 74.

Marij frigidę adhortationes.

Ad rem te tandem redire præ te fers ad finem numeri 26. vbi maxime extra rem vagaris. Toto præsenti capite agitur de æqualitate inter Apostolos, vt Petro super illos primatus autoritatiuus negetur. Leo Petri Primatum videbatur extollere: suspectam posse esse autoritatem Leonis obijciebat D. Spalatensis, licet Leonis illa dicta absolute non respuerit. Tu ad autoritates Ecclesiasticas ad fucandam Helenam vestram, hoc est, pro confirmatione Papatus Romani digrederis ociosè à n. 27. ad finem capitis, & sanè ad ea digrederis, quæ iam plenè à Domino meo confutata videras, & dissimulas. Quem sensum habeant encomia, quæ in Leonem in Concilio Chalcedonensi dicta videntur, habes lib. 4. cap. 10. n. 7. ad Papatum nihil facientia. Et non pudet te, fronte meretricia, ad exorbitantem Papatum, quem velles tueri, ea verba eiusdem Concilij Chalcedonensis afferre, in quibus primus locus inter Patriarchas datur Romano? Vt nimirum dignitate & titulo tenus præcedat, quem tamen statim in potestate & autoritate Patriarchali cum Constantinopolitano idem Concilium

Digressiones ociosę Marij.

Concilium exæquat, vt habes lib.4. cap.4. n. 5. & seqq. An verò potuerit Leo & probare & reprobare acta Concilij Chalcedonensis, testis tibi sit concessio priuilegij, & exæquationis prædictæ, quæ, vellet nollet Leo frustra obstrepens, & quasi furens, tamen obtinuit; vt probatum vides à D. meo eod. cap.4. n. 14. & seqq. vnde labor tuus n. 17.18.19. totus inanis est, & ad chartas duntaxat implendas, vel potius deturpandas à te frustra susceptus. Confer te ad dictum cap. 4. quarti libri & ibi si quid potes prome: ne dissimula ea quibus obniti nulla ratione potes: ibi tibi plenè fit satis in omnibus quæ Leoni cum Anatolio & Marciano acciderunt, quæ tu omnia callidè dissimulas, & extra proprium locum frustra & otiosè tractas, seu potius ex alijs Hieromonarchicis describis: sicut & Iustiniani dicta & edicta, quæ quid sibi velint iam satis videras lib.4. cap.3. vbi Dominus meus, sicut & cap. 9. aliqua Romanæ sedi priuilegia non negat; Papatum vniuersalem negat, quem tu ex Iustiniano n. 30. frustra & extra rem conaris confirmare. De calumnijs & maledictis ad calcem audies.

Qvarti Capitis.

Mariani tricæ.

IRrides homo lepidus num. 2. dictum mei Dominj, quj, vt clementer, modestèque ageret, se dixit Caietanicam doctrinam non capere. Poterat quidem apertius, rotundiusque dicere, esse doctrinam insulsam, vanam, quę humano intellectui

tellectui quadrare nullo modo possit. Scriptoris certè crimen non est scribere ea quæ aliqui non capiant, sed scribere ea quæ nemo capiat est crimen & sanè ingens cuiuscunque, etiam rerum saltem humanarum scriptoris. Talis est Caietanica illa de Vicario absolutè, & de vicario operis, quã si tu Mari ipse capere possis, debuisti imperitiam alienam adiuuare, & doctrinam Caietanicam reddere claram, veram, & manifestam: cum tamen id facere non potueris, certè tacitè ostendisti te quoque illam capere non posse. Cur igitur tuum Binium, cur alios ex facultate Colonienſi Theologos non consuluisti; an quis illorum forte illam capiat, vt objceres D. Spalatensem eam non capere, sed alios eam capere, & Domino meo explicare?

Indignaris inepte num. 2. quod particulam *æque*, Dominus meus posuerit in titulo capitis, et eam in probationibus nusquam habeat; contra fucum & fraudes hic stomacharis. An aliquid propositum in actu signato, non sufficienter & plene probatur, si in actu exercito id probetur? Si tibi probarem in actu exercito te omnes veri Soricis proprietates habere, & in nullo ab eo differre, quis negabit me etiam in actu signato probasse te esse æquè Soricem, ac quadrupes Sorex est verus Sorex? Annon aptè & rotundè curret talis Sorites meus Logicus de te Alogo? Parce, quod crassis cum homine satis stupido & bardo, vtar exemplis. Probationes Domini mei de vicariatu, omnes, licet non dicant æque fuisse Vicarios omnes Apostolos, æquè tamen faciunt Vicarios Christi omnes Apostolos. Alioquin

quin tu debuisses ostendere in quo magis fuerit vicarius Petrus, quàm vllus alius ex Apostolis. Conduxit Paterfamilias varios operarios in vineam suam, Matt. 20. & omnibus dixit, Ite in vineã meam, mercedemque promisit. An non licet hinc colligere omnes illos fuisse æquè operarios? Et tamen Euangelium non dicit, quod Pater ille æquè illis vineam colendam commiserat. Sic ludis in voce Generalis Vicarij num. 5. Nimirum testimonia allata non probare Apostolos esse Vicarios Generales. Et non tu bardus es? Dominus meus non assumpsit probandũ omnes Apostolos esse Vicarios generales: sed improbãdũ effugiũ Hieromonarchicorũ, & præsertim Eckij, quem ad finem quarti capitis meus Dominus protulit; quo asserunt omnes Apostolos fuisse vicarios, sed tamen Petrum fuisse Vicarium Generalem, vt sic effugiant illud, *æque*.

Exorbitas de more num. 6. & oppugnas quod eo loci neque dixit, neque cogitauit D. Spalatensis de æqualitate donorum spiritus sancti: neque æqualitatem vicariatus fundauit ille vnquam in verbis illis, *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti, Act.* 1. Sed Augustinus ex toto & integro illo contextu curam propriam omnium Apostolorum à Christo ipsis in suo è terris discessu commissam explicabat. Et ex loco Augustini Dominus meus dicta aliquot num. 4. colligebat, ex quibus suum intentum de Vicariatu confirmaret. Tu bene vidisti totum argumenti progressum Domini Spalatensis, in quo nihil de æqualitate donorum Spiritus sancti, ad quę frustra & otiosè diuertis. Sicut etiam frustra ac otiosè

oſe repetis num. 6. & 7. participationem in re & in modo ac gradu participationis, neque interim oſtendis inæqualitatem vicariæ poteſtatis inter Petrum & alios Apoſtolos, quoad hunc tuum inaniter excogitatum modum & gradum; & Auguſtini, Ambroſijque dicta à Domino Spalatenſi allata æqualitatem abſolutam etiam in modo & gradu probant: & tu cap. 3. quo te recipias, nihil habes, id enim totum ibi ego tibi eripui: Locum addis ex Nazianzeno à Domino meo poſitum cap. 6. libri primi num. 24. & num. 29. poteras tamen etiam plurimos addere Patres de Petro in eandem ſententiam proloquentes, ijſdem locis à meo Domino productos: ſenſum tamen eorum omnium, & conſequenter etiam Nazianzeni habes ibid. num. 30. qui in Petro illam poteſtatis inæqualitatem nullo modo tolerat, & tu id etiam diſſimulas, vt quam victoriam non potes rationum neruis, ſilentij vafricie conſecutus videare.

Celebrem tamen eſſe ais Nazianzeni locum; quaſi inde aſtruatur Petri ſuprema hęc poteſtas. At plures mecum, in illo loco & citando & interpretando celebrem tuam fraudem & impoſturam facilè animaduerterunt. A te ſerio triumphante, & ab alijs parum fidis Hieromonarchicis ita citatur: *Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, & electione dignis, hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta ſuæ fidei credita habeat, ac reliqui diſcipuli poſthaberi ſe æquo animo ferant.* Hanc lectionem Dominus quoque meus ſuo primo libro cap. 10. num. 4. ne lites multiplicaret, non grauatus eſt admit-

admittere, & in bono ſenſu intelligere: tuâ tamen nunc auditâ pertinaciâ, cum nimirum ipſi retuliſſem te ſubinferre, quòd hic Nazianzenus cæteros Petro, ait, poſtpoſitos, non intelligi eos iuniores fuiſſe, aut minus dilexiſſe; ſed de officio agi, ad quod B. Petrus fuit præ alijs aſſumptus, veſtram hic me voluit aperire impoſturam; Ac tu, Lohete, inquit Dominus meus, conſule Græcum Patrem Græcè loquentem, & videbis Leonardum Doctoraliter pro maieſtate cathedrę ſuæ, pro Primatu Latino, fide quidem Græca, ſed contra fidem Græci exemplaris, atque etiam Latini, hic egiſſe. Conſulo Nazianzenum, & ſtropham inuenio, ſic enim ille ſcribit, Ορᾶς τὸν χρυσοῦ μαθητὴν πόσου ὄντων ὑψηλῶν, καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲ Πέτρα κληθεὶς, καὶ ἐπὶ τῇ θεμελίῳ τῆς ἐκκλησίας πιστευθεὶς, ὁ δὲ ἀγαπώμενος πλέον, καὶ ὅτι τὸ στῆθος τ Ιησοῦ ἐφαπτόμενος, καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν. *Vides cum vniuerſi Chriſti diſcipuli ſublimes fuerint, ac electione digni, hic quidem Petra appellatur, ac Eccleſiæ fundamenta ſibi habet concredita; ille verò plus diligitur, ac in pectus Ieſu recumbit: & reliqui ferunt hanc præſtimationem.* Hæc nudè recitaſſe eſt profectò fraudes Marianas, & aliorum Monarchicorum abundè detexiſſe. Quid verò? Num male ſonabant vobis illa verba de Ioanne, ſuam etiam προτίμησιν, ſiue prærogatiuam ſortito? Apoſtoli, teſte Nazianzeno (ſcilicet tuo) φέρουσιν, æquo animo ferunt, non obliquis oculis intuentur, non obliterare conantur hanc dilecti diſcipuli prærogatiuam: tu verò, Leonarde, cum tuis æquo animo non fers, æquo calamo non transfers, ſed iniquiſſima fraude prorſus aufers. Quorſum autem? Nempe ne conſtet

Corrumpit loca Patrum Marius.

conſtet Nazianzenum per *reliquos* intelligere, non vndecim Apoſtolos Petro poſthabitos (ac, vt tu callidiùs, poſtpoſitos) ſed decem Petro, Ioannique; adeoque illam περίμειν nihil poteſtatiuum ſonare, cum non ſolum ad Petrum, ſed etiam ad Ioannem, quem vos in Hieromonarchiæ ſocietatem non admittitis, referarur. Iuſuper verò ego tibi dico, atque aſſero, Leonarde, ſi tua tibi per Indulgentiam plenariam fraus remittatur, adeoque nulla ibidem Ioannis mentio facta fuiſſet, nihil aliud lucrarere ex huiuſmodi περίμειν, quàm (quod D. meus facillime concedit, ac ſcribit. Nazianzenus Oratione in Iulianum) Petrum fuiſſe Apoſtolorum τιμιώτατον: quod ad Primatum autoritatiuum nihilo magis facit, quàm ſi dicerem (per abſurdum, & impoſſibile) te Theologorum doctiſſimum, ac ideo in reliquos habere imperium. Vis verò ſcire quomodo cæteri Apoſtoli non ægre tulerint ſe Petro poſt haberi (licet hoc non aſſerat Nazianzenus) vide quæ meus Dominus ſcribit lib. 1. cap. 7. num. 21. & os tibi occludetur. Vidiſti ſane & diſſimulaſti: quæ eſt tua iam fraus perpetua, licet enim locum Chryſoſtomi à te productum num. 8. diſſimulare non potueris, eludere tamen Domini mei cenſuram ſatis leuiter vnico verbo te putaſti; cum tamen illa longa ſit, lib. 1. cap. 9. num. 19. et ex ipſomet Chryſoſtomo corroborata: & quæ peculiari indiget oppugnatione: cui quidem labori tu leuiculus & deſultorius parcendum iudicaſti. Non te pudet ita ſicco pede iſthęc præterire?

Accedis propius ad ipſum Vicariatum, & quæ præmittis num. 9, 10. 11. 12. 13. 14. mihi videntur

dentur non vt falsa reijcienda, sed ad Concionatores remittenda, à quibus ea emendicasti ad supplendas paginarum lacunas, vbi rationes ad refutandum Domini mei librum commodæ tibi desunt. Atqui probare, & ostendere Petro soli datum esse Vicariatum per motiones, suasiones, & propositiones externas, hoc opus, hic labor; quod antequam probes, sugillas num. 15. Dominum meum tanquam Macedonianum, quod num. 2. quarti capitis cum Scriptura & Tertulliano, atque Augustino Spiritum Sanctum esse Vicarium Christi dixerit; saltem maiorem explicationem te desiderare in illis dictis mei Domini ostendis. Cum tamen te profitearis intelligere sensum Tertulliani, quo ipse Spiritum Sanctum vocat Christi Vicarium, & Dominus meus nitatur Tertulliano, bene etiam intelligebas sensum mei Domini esse eundem qui Tertulliani, qui & Autoris quæstionum in vetus, & nouum testamentum, in operibus Augustini, sed malitia tua te transuersum agit, vt odio iniusto in Dominum meum concitatus malis esse aranea, quàm apis, vt ex rore non mel, sed venenum exsugas.

Communicationem factam hominibus à Christo potestatis conferendi gratiam per Sacramenta considerat Dominus meus lib. 5. cap. 5. ibi ad trutinam istud reuocabitur. Quid ais de posteriori modo regendi homines per motiones, propositiones, & suasiones externas? Christum, ais, eum sibi reseruare noluisse. Fatetur hoc meus Dominus lib. 1. cap. 1. num. 16. & cap. 2. initio & lib. 3. cap. 1. num. 2. Ais præterea num. 17. in Ecclesia esse necessarios qui regãt, doceant, &c.

atque

atque hoc ipsum fatetur et probat locis citatis, & alijs Dominus Spalatensis: & esse Ecclesiam corpus pluribus membris distinctum & compactum, sub vno capite Christo. Sed Paulum 1.Cor.12.inter membra numerare etiam caput asseris, falso tamen. Propositio tua prima num. 18.et eius probatio num, 19. est mei Domini propositio ab eo optimè probata, tum lib. 1. cap. 4. tum lib. 2. cap. 6. num. 3. videlicet tam Apostolos quam Episcopos et Sacerdotes esse vicarios Christi.

Propositio tua secunda num. 20. tota est extra rem. Quæstio est, an omnes Apostoli fuerint vicarij Christi æquè ac Petrus, De plenitudine potestatis Papalis respectu Episcoporum seorsim est tractandum, et à Domino meo fusè id exagitatur sæpe in sequentibus, præsertim lib.2. cap. 5.Vel igitur totam illam debuisti perficere disputationem, vel nihil eam hoc loco attingere, vbi solum fundamentum ipsius quæstionis est tibi stabiliendum. Itaque neque tua distinctio num. 20.21. inter Apostolos et Pastores, neque inter Apostolos et 70. discipulos ad rem præsentem facit. Meus quoque Dominus egregiè distinxit potestatem Episcopalem à presbyterali lib. 2. cap.3. licet Hieronymus omnino contrariũ senserit, vt habes probatum eodem cap.3.num. 24. & num.44. et seqq. Tu verò cum tuis Monarchicis Hieronymi sensum num.22.non es assecutus.

Propositio tua tertia num.23. 24. otiosa quoque est, & inutilis tibi quartum caput primi libri de Republica Ecclesiastica oppugnanti, in quo nihil est quod hac propositione impugnetur; & planum

planum est tantam esse potestatem Vicariam in Vicario, quantam concesserit Christus speciatim. Sed cur tuus Papa se Vicarium Dei facit, & vice-Deum, & se posse glorietur omnia, quæ Deus potest circa humana, sua ordinaria potestate? Vrges meum Dominum vt suam potestatem vniuersalem probet. Quid hoc ad rem? Non agitur nunc num eadem sit potestas Episcoporum, quæ fuit Apostolorum. Hæc suis locis fusè tractantur; quo euagaris? Sed ego etiam vrgebo te, quandoquidē tibi placet alios prouocare; Ostende tu nobis breuem tui Papæ vniuersalis consecrationis formulam, in qua per mille annos post Christum, siue immediatè à Christo, siue mediante Ecclesia ei committatur potestas vlla propria ipsius ad regendam Ecclesiam vniuersalem. Doce similiter vel diuina, vel Apostolica, vel Ecclesiastica lege statutum esse, vt Romanus Episcopus, sicut forte succedit Petro in Episcopatu Romano, ita ei succedat in omnibus, etiam in Papatu vniuersali, si Petrus fuit Papa vniuersalis. Quod cum facere non possis aduersus mei Domini caput 6. libri 4. redi ad mentem. Ac interim lege quæ Dominus meus tradit lib. 2. cap. 5. n. 26. vbi si non tibi, certè tuo quæsito satisfaciet, & pudeat te Abironem Episcopis legitimis comparare, ritè in Ecclesia ordinatis, & Aaroni respondentibus. vt habes l. 1. c. 12. n. 29. & n. 31.

Propositionis tuæ quartæ n. 25. partem priorem, vti cum meo Domino plene consentientem, legi libenter. Omnes Apostolos fuisse Vicarios Christi generales; & tibi gratulor, quod iam multos vestros deseras Monarchicos, & veritatis lu- Pag. 138.

men in hac parte admiseris. Posteriorem verò eiusdem propositionis partem, nihil penitus ad tractatum de Apostolorum Vicariatu pertinentem, penitus contemnimus. Quando volueris serio, & non per vafras dissimulationes de officio Episcopali Episcoporum agere, & quærere num sit idem prorsus, quod ordinarium officium Apostolicum, ventilanda tibi erit mei Domini doctrina tradita potissimum lib. 2. c. 7. Interim laudo argumentum tuum, quo ex nomenclaturis Episcoporum colligis num. 25. in Ecclesia dubium non esse omnes Episcopos suis limitatis diœcesibus coerceri. Cum igitur tuus Papa per multa pura sæcula, vt habes lib. 4. cap. 2. num. 4. & seqq. fuerit solo nomine Episcopi Romani, seu vrbis Romæ insignitus, certè extra Romanam diœcesim eius Episcopalis potestas non extendebatur. Et dum pluribus probas num. 26. 27. 28. Ecclesiæ Canonibus, & decretis Episcopos suis diœcesibus constringi, necessario innuis iure diuino Episcopos locis certis non alligari.

Pag. 140.

Vbi etiam niteris probare num. 29. Obiectum potestatis Apostolicæ, & Episcopalis non esse idem, & æquale; vagaris similiter; Petrus & reliqui Apostoli, non autem Episcopi in c. 4. quod discutis, in æqualitate Vicariatus considerantur. Meus Dominus æqualitatem defendit, tu eam plenissime in tua quarta propositione num. 25. admittis, & lubens amplecteris: quid ergo in hoc capite vlterius litigas? Et quæ sunt iam soluta à meo Domino locis citatis dissimulas perpetuò, & veluti noua argumenta proponis, quæ tua est fraudulenta calliditas. Tuæ tamen imbecil-

cillitati me ſubmitto : & nego in tuo illo Syllogiſmo num. 29. formato, minorem. Videlicet, dum ais, *Epiſcopis non concedi in ipſorum ordinatione tantum quantum fuit conceſſum Apoſtolis:* Et tuas probationes, vt rideam, repeto. *Forma conſecrationis*, ais in tua prima probatione minoris, *recenſet quænam ſint futuræ functiones, & munia conſecrati.* Duo ſaltem hic peccas. Alterum quod non putas Epiſcopum ordinari plenè, niſi per Pontificalis Romani ceremonias. At Chriſtus ordinauit plenè Apoſtolos per ea ſola verba, *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* Sic ſola legitima miſsione fit Epiſcopus, nulla particulari expreſſa functione : Functiones enim Apoſtolicæ ordinariæ, & conſequenter Epiſcopales, in Euangelijs, & reliquis noui teſtamenti Scripturis notæ ſunt. Alterum quod niſi huic tuæ probationi addideris functiones illas tui Pontificalis non eſſe omnes functiones Apoſtolicas, ſed Apoſtolicis functionibus pauciores nihil effeceris: & hoc tibi negabitur. Male ſyllogizat Marius. Pag. 143. Ioan. 20.

Secunda tua probatio adhuc magis ridicula eſt, dum repetis num. 29. & 30. quod fuit meritò à me ſupra deriſum, videlicet, Marcum Antonium non poſſe probare qua lege Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis in plenitudine poteſtatis. *Alioquin*, inquis, *non alligaſſent Epiſcopos Apoſtoli certis ſedibus contra Chriſti inſtitutionem.* Langues miſer, & concidis totus in hoc iam penitus exanguis. Dominus Archiepiſcopus lib. 2. cap. 2. & 3. & 7. & alijs locis in ipſo primo volumine, ex ſucceſſione Epiſcoporum in locum Apoſtolorum ſatis probauit quod tu quæris: & iam tot pro-

bationibus nihil aliud opponis, nisi non potuisse Apostolos contra diuinam institutionem Episcopos locis alligare. Innumerabilia sunt ex diuina institutione, quorum vsus specialis, & determinata modificatio relinquitur in hominum potestate. Libertas homini est de iure diuino naturali; & tamen in potestate hominis est se sponte seruum alteri, contractu humano, facere. Ita de similibus ad quæ ius diuinum se habet negatiuè potius quàm positiuè, & indifferenter, quam determinatè. Ita ex institutione Christi potestas in Episcopis est illimitata quoad loca: vsus tamen huius illimitatæ potestatis, cadit sub humana Apostolorum, & Ecclesiæ, ac libera dispositione. Et si non intelligis num. 31. quid sit habere potestatem *in habitu*, indignus certe es, qui inter Logicę tyrunculos numereris, nedum Theologicam cathedram vsurpes. Et dum putide redis ad conuocationem Conciliorum, controuersiarum decisionem, admissionem appellationum, &c. supponisque Papæ hæc esse propria, & alijs Episcopis prohiberi, scias re dubia, & incerta ex magis dubijs magisque incertis non declarare, sed magis obscurare.

Inscitia Marij.

Nil agit exemplum, litem quod lite resoluit.

Et Dominus Spalatensis partim iam ostendit, partim in sequentibus libris clarissime ostendet hæc omnia ab Episcopis simul congregatis legitimè præstari. & à Romano solo non nisi per vsurpationem & tyrannidem.

Distinguis quoque num. 32. Potestatem in potestatem ordinis, & iurisdictionis. Quid hoc ad rem? Quid ad æqualitatem Vicariatus inter Aposto-

postolos? Nondum cohiberi potest vagum hoc saltillãs pecus ab his suis extra oleas, ac septa euagationibus. Hocne est libros confutare? Sed ne in hoc quidem te volo gloriari, te dimitto ad propediem proditurum quintum librum, in quo vestra hęc communis distinctio tota euertitur; Vnde nullam esse constabit potestatẽ Iurisdictionis vere Ecclesiasticam, quæ ordini essentialiter, & intrinsecè non sit annexa. Interim percurre caput 5. lib. 2. & habebis quid in hoc mente reuoluas: libro verò 3. iam vidisti, sed dissimulas, potestates Patriarchales, Primatiales, Metropoliticas, esse totas solo iure Ecclesiastico inuentas, & stabilitas, non Christi diuina institutione. Et quæ de Romani Pontificis potestatibus prædicas num. 34. ea omnia partim iam sublata sunt libris quatuor iam editis; partim auferentur, & sanè omnia, libris sequentibus iam edendis. Nec te pudet, homo miserande, tam multa simplici tua assertione eodem num. 34. percurrere, quæ in grauissimis versantur quæstionibus: saltem de legatorum Romanorum potestate obiectiones grauissimas, quas tua patitur assertio, & eas vidisti lib. 4 cap. 12. debuisti, siquidem iam in aliena tuo instituto diuertebas, non dissimulare, sed pertractare. Et si hæc eras tuis locis plenius tractaturus, cur frustra huc ea, nulla tibi data occasione, aut opportunitate obtorto collo attraxisti, ac tumultuario impetu congessisti? Sed videbas tuum libellum vere futurum fuisse libellulum, nisi hoc pacto paginis farciendis hic & alibi tibi consuluisses. Pag. 148.

Accedis tandem n. 35. ad præcipuam quæstionem, Pag. 151.

nem, & quintam formas propositionem: in qua denuo admittis Apostolos fuisse *Vicarios Christi generales*; *non tamen*, inquis, *æquè ac Petrus*. Speciosa propositio, si ei respondeant necessariæ probationes: est enim verè & directè oppositatitulo quarti capitis D. Spalatensis. Audiamus elaboratissimam probationem: *Ex his*, inquit, *quæ cap. præcedenti dicta sunt facilè probatur*. Quam fæliciter! Euge, laute, lepidè, vt nihil supra. At tertium tuum caput per se languidum ac imbelle iam occisum à me, & sepultum est, nisi mortuos resuscitare possis, nihil effeceris. Scio miserabile illud Bellarmini, quo tu quoq; vteris, effugium, de successione Petro data, non alijs. Sed si illud Bellarmino nihil inseruiuit, multo minus tibi, mei Domini oppugnationes cap. 1. lib. 2. dissimulanti poterit inseruire. Prælatura Petri tibi arridet; at nescis aliud esse præferri alicui, aliud præfici: Decanus tuus Binius præfertur omnibus facultatis Colonienſis Theologis, etiam tibi siue Theologo siue Theologastro; sed quam potest ille extra collegium vestrum, exercere in vos iurisdictionem? Abijcite istas ineptias.

Stultitia Marij.

Qvinti Capitis

Mariani delirium.

PRima tua, Leonarde, & maxima, imo verò vnica omnes in tuo quinto capite paginas opplẽs vecordia est, quod cum nihil penitus haberes quod in eo impugnares, vel reprehenderes, sed omnia consequenter admitteres, & tacitè approbares,

bares, voluisti tamen videri etiam ipsum D. Spalatensis primi libri caput quintum confutasse. Neque tamen tibi defuit multiloquium, eiusque comes stultiloquium. Fateris igitur eas Petrum habuisse personales prærogatiuas, quas Dominus meus ipso cap. 5. recensuit, & confirmauit. Sed quid tu interim? Præter personalia hæc primatus personalis priuilegia Petrum contendis alia quoque habuisse sui primatus, non personalis, sed in alios transmittendi perpetuo duratura priuilegia. Debuisses, bone Mari, personalibus hisce personalis primatus priuilegijs Petri, addere argumenta primatus potestatiui, & iurisdictionalis, tum in Apostolos, tum in Ecclesiam, cui ipsi Apostoli non æquarentur. Sed nihil habuisti nec habebis: Quo te vertis igitur? Cum nequeas per portam patentem & aduersam moliri exitum per posticum cupis elabi. Ad sacram anchoram successionis statim cõfugis, & totus in eo es, vt probes ad Pontifices Romanos continuata successione à Petro transijsse primatum supra omnes Episcopos, & totam Ecclesiam: Atque ex hoc quod talis primatus in suos transierit successores, colligis à posteriori (disputator certe postremissimus) in Petro, præter prærogatiuas illas personales fuisse etiam alium primatum non personalem. At in cap. 5. primi libri meus Dominus solum contendit affirmatiuè Petrum habuisse plures primatus personales, non tamen negatiuè aufert eo capite, Petro omnem alium primatum qui non sit personalis, sed autoritatiuus & transmittendus. Ita argumentum, & titulus capitis est. Aliquem primatum esse Petro concedendum: & finis capitis eiusdem

Stultiloquus Marius.

dem est; *Iam verò videndum est an aliunde Petri primatum illum absolutum, & potestatiuum colligant, quo Petrus emineat solus &c.* Pars itaque hæc negatiua, quam tu tamen impugnas, tractatur à Domino meo in sequentibus; penitus ergo toto tuo 5. capite extra pomœria vagaris. Falcem petebat Dominus meus, tu autem porrigis ligonem vilissimus calo,

Quem neque fossorem voluerunt numina diuûm
Esse, nec agricolam nec in vlla prætereà re
Scitum, aut egregium, ——.

Atque hæc tua tanto fit turpior tergiuersatio, quod ea omnia argumenta, quibus probare conaris Primatum Romani Pontificis, alibi à meo Domino tractata sunt exactissime suis locis, etiam in ipso primo iam edito volumine, quæ tamen tu omnia limis oculis, inuidisque aspiciens, dissimulas, neque difficultates ijs argumentis ab ipso obiectas ausus es primis digitis attingere dissertator inertissimus ac ineptissimus. Romanum duntaxat Pontificem in theatrum protrudis; Romani Pontificis nomen quasi sacrum amuletum collo appensum, ad omnes terrores fugandos, in promptu habes. Ita vobis puto Papicolis non modo Cathedræ, & pulpita, & libri, sed etiam Campanæ omnes nil aliud quam Papæ Romani nomen boant. Certè nisi solenne tibi esset ita passim in toto hoc opere tuo subuentaneo ineptire, ac ne nihil dicere videare plerunque aliud dicere, ac toto cœlo errare, ego rogarem vt, si in refutatione, hoc est, balbutie pergas, aperire tandem velis & librum Domini mei, & oculos simul tuos, ac quid agat, quid probet, attendere, palámque proponere rationum ac testimonio-

teſtimoniorum cohortes, ac demum in ijs, ſi quid humanitus erratum ſit, oſtendere, ac conuellere; quæ vero ſuo ſtant robore agnoſcere, & concedere. Dic ſodes, ſomniculoſe Theologaſter, tun primum de Rep. Eccleſ. librum refutandum ſuſcepiſti? Quid tibi vſpiam de Helena veſtra Papatu Romano? cum monſtro illo poſtea libris ſequentibus confligitur; Cur non ibi in propria palæſtra pugilem agis? Interim hoc age, Petri Primatum in capite hoc quinto diſcute, huic inſuda, pro hoc anhela. Pompoſa, ampulloſa conglobas indicia Primatus cuiuſdam Romani Pontificis, ſed à Petro Papam Primatum eum habuiſſe non oſtendis: cum in ſuo libro quarto cap. 8. & 9. meus Dominus abunde probarit, omnem Eccleſiæ Romanæ, & eius Epiſcopi Primatum ab humanis duntaxat pendere fundamentis. Vbi itaque tu inanem perueriamque fruſtra inſumpſiſti operam, non eſt cur ego quoque cum poſsim horas bonas melius inſumere, erraticum ſequens, fruſtra vager. Innuam duntaxat tibi vbi diſcas quæ ignoras, imo quę iam vidiſti, & legiſti, ſed pro tua fraude diſsimulas.

Tuus ille Athanaſius num. 4. eſt Apocryphus: nihilominus explicationem habet lib. 4. cap. 10. num. 57. De cauſa Athanaſij, & Iulij iudicio, ac cum Antiocheno Concilio contentione, habes hiſtoriam aperte candidéque elucidatam, & totam tibi penitus contrariam eodem lib. 4. cap. 10. num. 10. & ſeqq. vbi habes n. 13. Iulium ſuam poteſtatem non ad Petrum, ſed ad Eccleſiaſticam conſuetudinem, Nicæna Synodo firmatam, reducere; & videbis te non intelligere quæ de Athanaſio, & Iulio, & Pag. 158.

lio,& Antiochenis adducis à num. 4. ad 18. De Sardicenſis Concilij autoritate vide lib. 4. cap. 8. num. 34. et agnoſces te incaſſum num. 12. et 13. & 14. laborare. Sed & lib. 8. illa meus Dominus plenius perſequitur. De Concilij Antiocheni Canone 12. de quo tu nu. 15. tuam, et tui Binij inſcitiam agnoſce ex lib. 3. cap. 8. num. 3. & ſeqq.

Pag. 171.

Sorbonæ iudicium incidenter obijcis Domino meo num. 18. quaſi verò iudicium nudum definitiuum Sorbonæ, vel vllius Collegij, & Vniuerſitatis expetierit; inuitauit viros doctos Sorbonæ, & aliarum Vniuerſitatum Dominus meus, vt ſi quos errores in ipſius libris detegerent, eos aperirent, & amica diſputatione conuincerent, veritatem ſemper ſibi manifeſtatam ſequuturo. An putas tu Sorbonæ nomine intelligi quinque ex imperitiſsimis, aut malè erga veritatem affectis, & Papæ Satellitibus Monachis, quos in facultate illa olim celeberrima admitti infamiæ fuerit. Notorium eſt Pariſijs, & iam extra diuulgatum, ſapientiores quoſque ex ipſa Sorbona illius cenſuræ puduiſſe, noluiſſeque cum illa eſſet nomine facultatis, in gratiã duntaxat Papæ, cũ tanto Eccleſię Gallicanę & præiudicio & dedecore edenda, intereſſe, luxiſſeq; temporũ cõditionẽ, & lugere, cũ iã pro veritate, & antiqua Eccleſiæ Gallicanæ libertate viris bonis decertare ſit maximi diſcriminis.

Cenſura Sorbonica.

De Cæliſtino, & Cyrillo, et condemnatione Neſtorij, de quibus tu num. 20. 21. 22. habes tractationem Domini mei lib. 4. cap. 10. nu. 6. et 61. quibus locis meus Dominus nunquam negat, ſemper admittit Cæleſtinum quoque fuiſſe Neſtorij iudicem; negat duntaxat Neſtorium fuiſſe

fuisse solius Cælestini iudicio tunc condemnatũ. Verba autem quæ tu num. 21. tanquam à Domino Spalatensi prolata profers impugnanda, certe mei Domini non sunt (Voluo et reuoluo libros quatuor de Repub. nec vspiam eam sententiam reperio. Callide scilicet nullum citas locum, quo perpetuò ferme veteris dolo malo ad strophas tuas occultandas) Præterea ita perplexa, ambigua vel manca & mutila sunt prout à te proferuntur, vt sibi nullo modo cohæreant, planeque calamum potius tuum anserinum redoleant, quàm cygneum Domini mei. Quis enim bipes præter Leonardum ita scriberet? *Cælestinus mandauit quidem Cyrillo vices suas non quod nullam potestatem aut iurisdictionem in Nestorium reuera haberet, quod totam hanc autoritatem sibi ipse vendicaret.* Ego certè Dauus sum, non Oedipus. Consulamus, quæso, Sphyngem vestrum Romanum, quid sibi hoc ænigma velit. Interim durum illud tuum quod subiungitur *Os hominis*, vel soricis hiare ac arrodere desinat. Quod si tibi, tuisq; iam extra rẽ productis testimonijs de Cælestini potestate in iudicãdo Nestorio, nõ satisfaciũt ea, quæ meus Dominus scribit lib. 4. cap. 10. num. 6. et 61. expecta alia multo plura quæ scribit lib. 8. Et pudeat te interim asserere, quatuor primarios Orientis Prælatos tempore Cælestini fuisse, Antiochenum, Thessalonicensem, Hierosolymitanum, et Philippensem. Tres enim duntaxat erant tunc primi Orientis Prælati, Constantinopolitanus, Alexandrinus, et Antiochenus: vt habes lib. 3. cap. 10. et de legatione ordinaria Episcopi Thessalonicensis, quam commemoras num.

Pag. 176.

Conficta à Mario impostore.

num.23. et seqq. plura potes legere lib.2. cap.5. num. 27. et seqq. et cap. 12. num. 7. et 8. et lib. 4. cap. 12. num. 11. quæ omnia, vt soles, dissimulas. Circa ius Romanæ sedis Antiochenum iudicandi, quod similiter frustra profers n. 27. satisfiet tibi plenè lib. 8. Nunc verò tuo te iugulas gladio: quorsum enim hæc adducis, nisi vt quoquo modo valde à longè, doceas, si possis, Petrum, præter Primatus personales habuisse etiam Primatum vniuersalem in successores transmittendum? Quod si Apostolica ordinatione, et antiqua traditione in consuetudinem abierit, vt Romanus Antiochenum dirigat, et iudicet, hoc ergo non habet à Petro, nec per Euangelium. Petrus igitur hoc non transmisit, siquidem consuetudo potissimum alicui nixa Apostolicæ ordinationi, & antiquæ traditioni, (nam et hoc nunc tibi dare possum, quod simpliciter non admitto) id introduxerit. Satis igitur de te nunc triumphat M. Antonius. A quo si cupis exempla, non vnum sed plurima, quibus Episcopus Romanus nullum agnoscitur habere Primatum iure diuino, sed penitus æqualis ponitur in ordine et iurisdictione cuicunque Episcopo, etiam Eugubino, lege quæ ille profert lib. 2. cap. 6. lib. 3. cap. 1. et lib. 4. cap. 8. Paucula verò tua exempla à num. 17. deinceps, et Petri primatum nullum probant, et à meo Domino sunt, cum multis alijs ita explicata, vt nihil Romano faueant Papatui lib. 4. cap. 10. tu omnia dissimulas, & illa paucula, vt à Bellarmino proponuntur, ab eodem subtesta fide surripuisti, repetundarum reus merito agendus. Aliqua verò quæ spectant ad iudiciariam potestatem, à D. Spalatensi

Futa Marij.

latensi lib. 8. ponderantur. De erectione sedis Hierosolymitanæ in Patriarchalem, cur te delassas aduersus meum Dominum, qui ea ipsa quæ tu frustra profers num. 32. adducit, et considerat lib. 2. cap. 8. n. 8. & lib. 3. cap. 2. n. 9. Noctuas Athenas portas.

De Constantinopolitano Patriarchatu ac primatu ex Bellarmino descripta cur congeris, cum ea vniuersa discussa sint & plenissime agitata à Domino Spalatensi lib. 4. cap. 4? quæ tamen omnia quasi per nebulam videns non vides, sed subtices, in eaque non sine ingenti lectorum tuorum fastidio ad nauseam extra rem digrederis n. 34. & seqq. Quid hæc omnia ad Primatum Petri? De iudicio Iulij in restituendo Paulo Constantinopolitano in suam sedem. & alijs, vide lib 4. c. 8. n. 15. et seqq. Locum Cypriani, quem fronte libelli pro emblemate prius positum hic denuò repetis n. 38. vt te merito bis pudeat, adeoque vt bis pereas proprio interemptus gladio: Hic enim contra Pontificem militat cum reliquis eiusdem Cypriani à te ibidem productis, vt vidisti lib. 4. cap. 10. num. 74. et seqq. Sed ea dissimulas, ne non antiquum obtineas. Salonitanam Ecclesiam, quæ nunc est Spalatensis, Romano Patriarchæ esse iure Ecclesiastico Patriarchali subiectam nunquã tibi negauit D. Spalatensis: In sua præfatione aperte agnoscit Romanum Pontificem huius temporis esse ipsius immediatum Prælatum. Sed hoc totum nihil ad rem. An Petrus iure diuino fuerit totius Ecclesiæ Papa, cui detur in Papatu perpetua successio quærimus, Iura Ecclesiastica in hac quæstione locum non habent, & de simultatibus

tatibus inter Gregorium, & Archiepiſcopos Salonitanos, ac de victoria Maximi Salonitani contra Gregorium non pauca elucidauit meus Dominus lib. 3. cap. 12. num. 57. et lib. 4. cap. 8. num. 43. et cap. 10. num. 45. Et rurſus lib. 6. vt poſtea videbis. Et ſi fuit triſte Gregorio, pluſculum iam ſibi dominij & poteſtatis, quàm par eſſet, in Eccleſias liberas arripienti, & Natalem & Maximum ſuæ Eccleſiæ, tunc ſane inter Illyricianas nobiliſſimæ, libertatem generoſo ſpiritu tuentes, aduerſarios experiri, quibus et, vt par erat, cedere coactus eſt; Paulus tuus eo exemplo permotus triſtitiam effugiſſet, ſi ab opprimendis Eccleſijs abſtinuiſſet. Chriſto verò Domino, ac ſanctis Angelis eius, & toti Eccleſiæ iandiu ſub oppreſſoribus Papis gementi non triſte, ſed lætum fuit videre Optimorum Natalis, & Maximi dignum, in nobili ac libera ſede ſucceſſorem Marcum Antonium, non modo pro Salonitanæ ſuæ ſedis, ſed pro totius vniuerſalis Eccleſiæ libertate, ac puritate generoſiori adhuc ſpiritu inſurgentem. Quid verò eſt quod num. 43. oblaterat propudioſus rabula Leonardus? Dominumne meum Eccleſiæ ſuæ deſertorem, Catholicæ hoſtem, adeoque totum datum in reprobum ſenſum? Vah! Saxa mihi videor legere, non verba, latratum audire Cerberei Canis potius quam vocem hominis Chriſtiani, Theologi Cathedrati; maculas Leopardi inſpicere potius quàm notas cenſorias Leonardi. Tibine Lothus Sodoma decedens deſertor Eccleſiæ viſus? Qui pro Catholica Eccleſia Antichriſto bellum indixit, illéne Catholicæ Eccleſiæ hoſtis? Tuumne eſt, ſtipes, reuerendos

Anti-

Antistites in reprobum sensum dare? Tun Academiæ labes, Cathedræ cœnum, Scribillatorum fex, audes viris sanctissimis colendissimisque Præsulibus nigrum Reprobationis theta inurere? Sed solers ac peritus est reproborum Iudex hic noster, qui facilè fert sententiam, cum in suo versatur. Arquatis omnia apparent lurida. Ita huic lymphato, fædissimis vitiorum sordibus scatenti, etiam quæ sunt pulcherrima ac purissima, videntur aspicientis turpitudinem imitari. Ipse cum sit αὐτοκατάκριτος ex suo ingenio alios metitur, qui meritissime dici possit totus in reprobum sensum datus, nisi quod omni prorsus sensu careat. Tradi Sathanæ, id est vobis, pro tam digno & sublimi, Christoque, & Ecclesiæ gratissimo opere, eximium Prælatum erga Christum, et Ecclesiam, Euangelicamque veritatem amore feruentem, tu, tuique similes Sathanæ mancipia, & Antichristi satellites, cupitis et vrgetis. Sed cui vos maledicitis, ei Deus benedicit, & Sathanas vester horrescit, ac pauet Christi famulos, qualis est Marcus Antonius: dum Christi sui causam defendendam suscipiunt, & Euangelium à vestris corruptelis conantur vendicare, quod vos stultè, ac impiè, dicitis esse blasphemare.

Pupugit Marcus Antonius lib. 3. cap. 8. tuum Binium Baronij transcriptorem, & vtrumque summæ audaciæ nota dignissimum ostendit, dum Antiochenos, Canones Arianos esse, satis impetitè effutierunt, ideoque audaciam & temeritatem in meum Dominum regeritis, quod noua Concilia confinxerit. O hominum impudentiam: confingiturne quod optimorum Autorum relatione

tione patefcit? Quot Concilia Binius Concilijs iam ante ipſum collectis, et editis, attexuit, quæ prius in tomis Conciliorum non ſunt ſcripta, quorumque acta nulla extant, ſed ab hiſtoricis duntaxat, vt facta commemorantur? Quam multa, & quàm ſæpe Bellarminus citat Concilia, quæ in tomis Conciliorum tunc non extabant, ſed ex Scriptorum relatione ea profert? Non ex ſe Marcus Antonius Antiochenum quoddã Concilium confingit, ſed ex Gregorio, & Palladio vitę Chryſoſtomi ſcriptorum confirmat, & rationibus demonſtratiuis conuincit: ad quas neque tu, neque Binius habuiſtis quod reponeretis, niſi conuicia.

Marius et Binius conuiciatores.

Sextvm *Marij maleſanum* Caput *comminutum.*

GRande piaculum tibi viſus eſt num. 5. & ſeqq. meus Dominus commiſiſſe, quod allegoricum quendam Petræ ſenſum Origenis potius fuiſſe dixerit, quàm Eraſmi, vt propterea Bellarminus debuerit eam ſententiam potius Origeni, quàm Eraſmo adſcribere, Sed cum videris ipſum meum Dominum num. 6. nolle vrgere in hoc, quia ſenſus allegorici cuiuſcunque ſint, ad fundanda dogmata nihil valent, non erat cur ijs nimium inſiſteres. Multo minus ad tuam rem faciebat digredi in cauſam Origenis; vbi ais eum vniuerſalem curam Romanę ſedis agnouiſſe. Non enim in 6. capite agitur niſi de ſola interpretatione Petrę, & fundamenti, & ædificationis Eccleſiæ.

cleſiæ. Potuit ergo Origenes & bene ſentire de vniuerſali cura Romanę ſedis, & nomine Petræ in loco Euangelij Matth. 16. nō Petrum, ſed aliquid aliud intelligere; imo neque ſequitur, ſi Romana ſedes curam habeat vniuerſalem, eam neceſſariò à Petro habere; & conſequenter inde non ſequitur Petrum fuiſſe Papam vniuerſalem, eo modo, quo vos veſtrum Papam facitis vniuerſalem. Sed hallucinaris miſer, imo dolo malo lectores ſimplices decipis, dum ais, Origenem curam vniuerſalem Romanæ ſedis agnouiſſe, quia ad Fabianum Romanum literas ſcripſit, cum fidei ſuæ confeſſione, quando hæreſeōs accuſaretur. Euſebius enim lib. 6. cap. 29. ſuæ hiſtoriæ nihil dicit de accuſatione. ſed recenſet varia opera Origenis, & ait, diuerſas eum epiſtolas ſcripſiſſe ad diuerſos, & hæc addit. *Scribit præterea Fabiano Romano Epiſcopo, aliiſque permultis Eccleſiarum præſidibus, de ſua recta, & orthodoxa, de fide Chriſtiana, ſententia.*] Si per tales literas agnoſcit vniuerſalitatem curæ in Epiſcopo Fabiano, certè eandem vniuerſalitatem agnoſcit in permultis illis Eccleſiarum præſidibus, ad quos de ſua fidei confeſſione ſcribit.

Hallucinatur Marius.

Super hanc Petram Eccleſiam eſſe ædificandam, hoc eſt ſuper Chriſtum, erat ſenſus Sanctorum Patrum plurium, & inſignium; quem Caluino tribuebat Bellarminus, vt docet Dominus meus ſui 6. cap. num. 7. & ſeqq. Non ergo verba Chriſti illa *Super hanc Petram, &c.* ſignificant vllum Petri primatum vniuerſalem. Quid tu ad hæc? *Colligit*, (inquis num. 8.) *Marcus Antonius omni diligentia Autores illos, qui Chriſtum*

ſtum Petram appellant, etiam ſine vlla præſentis Scripturæ mentione, & vrges, *Si omnes qui Petrum eſſe Chriſtum aſſerunt, intelligunt locum Euangelij ſuper hanc Petram, &c. de ipſo Chriſto eſſe explicandum, Dauid ergo, & Iſaias, & Paulus Apoſtolus, dum Chriſtum vocant Petram; locum Matth. 16. de Chriſto intelligendum eſſe interpretantur:* & hęc eſt tua prima obiectio: digna profecto blenno & bardo Leonardo. Dic mihi, quæſo, mi Profeſſorcule, An aliqui ſaltem ex Patribus à meo Domino productis, locum præſentis Scripturæ expreſsè, & directè interpretantes, nomine Petræ Chriſtum intellexerunt? Negare non potes. Si tibi donarentur reliqui vt ad præſentem locum declarandum inepti, An non tibi locus fundamentalis Primatus Petri à Domino meo ereptus foret? Omiſſa principali præda ad muſcas captandas conuerteris: Sed ne culicem quidem capere potes: Patres enim directè locum Scripturæ præſentis interpretantes appoſiti ſunt tibi à meo Domino num. 7. 8. 9. Deinde num. 10. addit Patrum dicta, ex quibus habeas Petrum à Chriſto, qui erat Petra, dictum: & ſtatim inde colligit ideo ſuper Petrum dici ædificandam eſſe Eccleſiam, quia ſuper Chriſtum, à quo, quatenus Petra dicitur, etiam Petrus Petræ nomen eſt ſortitus. Igitur omnia illa Patrum loca ad præſentem ſcripturam interpretandam egregiè faciebant.

Secunda tua obiectio nu. 9. 10. 11. tota allium & cæpas redolet, id eructas quo plenus es, impuram animam. Quæſtio erat num nomine Petræ Petrus, an Chriſtus eo loci ſignificetur. Baronius

nius vrgebat ex voce Syriaca ipſum Petrum ſignificari. Patres verò, qui Petrum Petram dici volunt à Chriſto, per ipſam Petram, qua Petrus Petra dicitur, Chriſtum volunt tandem ibi ſignificari, vbi Petro dicitur, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hoc eſt*, inquiunt, *ſuper illa ſoliditate, à qua tu Petra, communione nominis, vocaris, nempe ſuper me ipſo Chriſto.* Et Baronio Dominus meus non oppoſuit illos, qui docent Petrum à Chriſto nomen Petri, & id, quod eo nomine ſignificatur, accepiſſe; ſed oppoſuit eos, quos ipſe Dominus meus num. 7 8. 9. recenſuit: quoſque planum eſt, non Petrum, ſed Chriſtum in verbis illis *(Super hanc petram)* ſub nomine Petræ intellexiſſe, a Baronio verò ſtultè, & imperitè fuiſſe inter deceptos, & minus cautè, minuſque ſcitè ſcribentes repoſitos: quantumuis ipſe ſua Syriacæ linguæ peritia nimium ſibi blandiatur; Poterat enim ex Syriacæ vocis ſenſu ad Petrum locum Euangelij, vtcunque placeret, trahere, ſed Patres non debuit cenſura ſua grammaticali adeo grauiter percellere, neque eorum interpretationem de Chriſto per Petram in præſenti Scripturæ loco penitus abijcere. Tu igitur petulantiam tuam cum ſumma inſcitia vel improbitate coniunctam in hac tua ſecunda obiectione manifeſtas.

Tertia tua obiectio num. 12. redit ad primam: & non ſubtilitas argumenti, ſed obtuſitas tua, ſeu excæcans malitia, facit vt inſulſum tibi videatur, quod cuique ingenio mediocri nec malè affecto, ſapidiſſimum eſt, & palato non corrupto haud ingratum. Aptiſſima enim eſt hęc argu-

mentatio; Petrus à Petra Christo, eiusque firmitate id nomen per quandam participationem accepit; Ergo vbi Christus ei dicit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Ecclesia ædificanda significatur non super firmitate Petri, quę est firmitas per solam participationem, sed super ea firmitate, eaque Petra, à qua Petrus participatiue Petra dictus est. Non negat Dominus Spalatensis Simonem illum filium Ioannis habuisse nomen seu agnomen Petri siue Petræ, & illum fuisse verè participatiuè Petrum à Petra Christo; sicuti filij Zebedei fuerunt verè *boanerges*, hoc est filij tonitrui: sed negat iuxta plurium Patrum sententiam, tunc Petræ nomine Petrum significari, quando dictum est; *Super hanc Petram ædificabo, &c.* Sicut si dixisset filijs Zebedei, Vos estis filij tonitrui, & hoc tonitru est quod concutit deserta, &c. tunc intellexisset tonitru à quo illi dicuntur *boanerges*, & non tonitru participatiue quo illi sic vocantur.

Quarta tua obiectione cum in sequentibus à te dicenda innuas num. 13. Ego quoque in sequentibus te præstolabor. Sed interim argumentum mei Domini ad finem num. 10. inconcussum manet, in Petri, à Petra nomine, primatum Petri autoritatiuum non contineri, sed tantum personalem: nam ad hoc argumentum speciale tu nunquam amplius redis. Sed & illud moneo opportunè, par esse vt memineris per te in his tuis quatuor obiectionibus non stare, quo minus à Patribus sanctissimis, & doctissimis in illis verbis (*super hanc petram*) Christus, non Petrus, intelligatur. Et ita tertia sententia, seu loci interpretatio,

tatio, quæ Caluini dicebatur, plenè oſtenſa eſt eſſe præcipuorum Patrum: qua in re iam das manus.

Quartæ interpretationi, quam Luthero tribuebat Bellarminus, & eſſe communem ferè omnium Sanctorum Patrum docebat Dominus Spalatenſis, non potuiſti non aſſentiri num. 14. Petram nimirum eſſe fidem quam Petrus eſt confeſſus. Sed, ne penitus victus acquieſcere videare, rimulas quæris, per quas iam captus è muſcipula elabaris, & ſane rimulas illas, quas, ſicut Bellarmino, ita tibi quoque Dominus meus obſtruxit num. 14. & ſeqq. Nam, inquis, ſi ſuper fidem Petri eſt fundata, ergo etiam ſuper Petrum. *Nunc* enim *etſi perſona Petri à nobis abierit*, ais, *officium tamen manſit, quia manſit fides; & promiſſa ſuper eam Eccleſiæ ædificatio quotidianis adhuc incrementis proficit.* Fides igitur, quæ erat in Petro, ſecundum te, eſt officium Petri. Quis oſcitans hæc diceret? Veritatem tamen inſcius, & nolens fateris, fidem illam, quæ fuit in Petro tunc quando dixit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, eſſe fundamentum ſuper quod Eccleſiæ ædificatio quotidie proficit. Atqui hæc fides eſt in tota Eccleſia vniuerſali, & non in vna ſola particulari vel perſonâ vel Eccleſiâ: ſicut & quando Apoſtoli fundabant Eccleſiam, non eam fundabant ſuper fidem, quę eſſet perſonaliter in ſolo Petro, ſed ſuper fidem, quæ inerat ipſis omnibus & ſingulis. Et Eccleſiæ à Paulo fundatæ pro fundamento habuerunt fidē illam, quæ erat indiuidualiter quidem in ſolo Paulo, ſpecifice verò in omnibus Apoſtolis, etiam in Petro: ſic de Ioanne,

Paulo, & alijs. Quod si adhuc accuratius hæc velimus distinguere, dicendum erit fidem illam, super quam Ecclesia quotidianis proficit incrementis, hic considerari, non subiectiuè, prout est in docente, aut credente, sed obiectiuè, prout ipsum Christum creditum, ac prædicatum respicit, adeoque eius cum fundamentum, tum incrementum nec à Petri promulgantis, nec populi recipientis persona metiendum, sed totum fundamento Christo acceptum referendum.

Stomacharis n. 15. quod Dominus meus aduersus Bellarminum multos Patres congesserit, quorum sententiam Lutherus sit secutus, & in verbis non negas dicta Patrum cum dicto Lutheri in hac quarta interpretatione conuenire, sed ex locorum aliorum collatione asseris inquirendam inter Patres, & Lutherum differentiam. Admitto. Cedo aliquid, proferloca. Innuis à Luthero Patres in multis dissentire. Certè. Ac fortasse in nonnullis etiam ipsi inter se aliquatenus discrepant. Nunquid hoc eorum in alijs minuit autoritatem? Tuum vero erat in medium protulisse locum aliquem, vbi Patres illi, qui per Petram intelligunt fidem Petri, non Petrum, à Lutheri discrepent hac ipsa interpretatione: sed tu ad hæc nihil habes nisi verba.

Ad rimulam quà tentas euadere, redeamus: Fides, inquis, Petri, in illis Patrum dictis includit etiam Petrum, non excludit. Sed obstructa est hæc tibi rimula vbi illa Bellarmino fuit à Domino Spalatensi intercluſa n. 14. & seqq. Aperi eam, si vlla tibi sit spes euadendi. Respondeo rationi: Iterum repręsento tibi. *Fides Petri, super quam fundatur*

fundatur Ecclesia, vel est ratio formalis cur Petrus sit fundamentum, vel conditio sine qua non potest esse Petrus fundamentum. Quid respondes? Vtrum horum eligis? Ad hæc mus hic prorsus nihil mussitat. Exemplum Domini mei de Aristotele, & doctrina Aristotelis vellicat n. 18. *Nam qui philosophiam* (inquit) *Aristotelis diceret scholæ Peripateticæ fundamentum, sine dubio Aristotelem quoque illo elogio laudaret: eumque censeret scholæ Peripateticæ fundatorem ob doctrinam feliciter & solidè propositam.* Sed nos quoque laudabimus Petrum quod fide diuinitatis Christi excelluerit, quódque hac fide multarum fuerit fundator Ecclesiarum. At verò non propterea dicemus Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, licet sit multarum fundator. Fundat etiam Architectus seu Cæmentarius domum, sed ille non est fundamentum domus: Ita Aristoteles fundauit scholam Peripateticam sua speciali doctrina, at verò non propterea ipse est fundamentum scholæ, licet sit fundator, sed fundamentum est ipsius doctrina etiam secluso ipso. Sic fundamentum illarum Ecclesiarum, quas per suam indiuidualem fidem fundauit Petrus, non est Petrus, sed fides eius, neque illa sanè vt indiuidualis in Petro est, sed vt communis in omnibus Apostolis erat, & ita multo minus Petrus potest dici fundamentum Ecclesiæ, quàm Aristoteles fundamentum scholæ Peripateticæ, quia doctrina indiuidualis Aristotelis ab ipso excogitata fundauit scholam Peripateticam per sequentem propagationem specificam eiusdem doctrinæ, & sanè doctrinæ ipsius propriæ, & proprio Marte acquisitæ: Petrus verò fide communi vsus est in fundandis

suis

ſuis particularibus Eccleſijs, & fide ei dono cęleſti reuelata, non propria & acquiſita. Sed quorſum in hoc exemplo, ac tota ratione, & tu & ego laboremus, quam ipſemet meus Dominus non magni æſtimauit : (*quicquid ſit de hoc*, inquit, n. 15.) nam quæ poſuerat n. 13, & quę poſuit poſtea n. 15. & 18. de Autoritate Auguſtini, & Chryſoſtomi n. 19. rimulam tibi illam penitus reddunt imperuiam : hæc tu omnia diſſimulas, & rurſus pro ſolito aucupio, muſcas, neſcio muſne an veſpertilio, venaris. Ambroſium quoque tibi obiectum videras à meo Domino n. 16. & 17. te ab illa rimula, ne effugeres inde repellentem, reluctari paululum conatus es n. 18. ſed infæliciter : Proſtratum vidiſti Bellarminum, fuſum Baronium, in Ambroſio interpretando, tu Pygmæus poſt horum magnorum nominum ſcuta vmbratilia latitans, vnicum iaculum puerile emiſiſti ; Per carnem Petri Ambroſium intelligere aſſerens, carnem illam, de qua Euangelium dicit, *Carnem & ſanguinem Petro non reuelaſſe*, & non eum intelligere perſonam ſeu indiuiduum Petri, vt meus Dominus euidentiſſimè eſt interpretatus. Telum

Scilicet obtuſum, quod habet ſub arundine plumbum eiaculatus es, & ſtatim te proripuiſti & abſcondiſti. Cur cætera non examinaſti ; cur tuam interpretationem reliquis Ambroſij verbis non accommodaſti ? Quia videbas eam vanam eſſe & meritò ſpernendam. Ambroſius non agebat de reuelatione, ſed de obnitentia aduerſus portas inferi, & obiectiones à meo Domino factæ contra Baronium tuam quoque enecant interpretationem.

Primam Bellarmini interpretationem, quam Baronius

Baronius quoque persuadere conatus est, quæ in verbis illis, *Super hanc Petram*, intelligit ipsum Petrum, tu quoque conaris confirmare à n. 19. & deinceps: in hoc tamen tuo labore nihil meo Domino repugnas. Nam ipse quoque eam non grauatè admittit n. 25. dummodo hæc interpretatio non excludat duas præcedentes, de Christo & de fide, quæ quia à te non sunt exclusæ, sed tacitè & virtualiter admissæ, iam tibi in tua interpretatione proculdubio consentiet. Sed postquam probaueris & conuiceris optimam esse hanc tuam, quæ est communis Catholicorum, vt ait Bellarminus, interpretationem, duplex, & sanè vtrumque ingens pelagus est tibi ventis haud valde propitijs emetiendum. Primum est, te nihil posse in ea, tanquam certum & dogmaticum ac necessariò tenendum & docendum, de Primatu absoluto Petri stabilire. Nam duæ priores interpretationes dum integræ manent, saltem vt probabiles, tertiam hanc vestram similiter reddunt duntaxat probabilem: At quis poterit portentosum Papatum Petri in vna interpretatione loci Euangelici, quæ sit duntaxat probabilis, & non necessaria, tanquam fidei dogma stabilire? Et huc potissimum spectat labor mei Domini in hoc sexto capite; non vt vestram prorsus aboleat interpretationem, sed vt eam non nisi probabilem esse ostendat. Cum verò tu hoc non impugnes, frustra contra meum Dominum anhelus adeo decertasti. Alterum pelagus est, quod tibi à Domino meo proponitur n. 26. vt probes quo pacto ex tali etiam absolutè vera interpretatione sequatur Petri primatus ille, ille inquam, pro quo vos velis remisque contenditis. Varias vario-

rum

rum deductiones D. Spalatensis oppugnauit. Quid tu ? vel aliqua ex illis est tibi defendenda, & ab obiectionibus vindicanda : vel propria ab illis omnibus diuersa excogitanda & stabilienda.

In primum hoc mare non es ingressus, *Mari*. Illud prudenter sanè, vtpote qui certum tuę causę naufragium pręuidebas : imo ne oculis quidem profundum aspicere voluisti : Hoc certe meticulosè nimis, muliebriterque. Adeone tibi virtutem omnem masculam (si quid in te sit aut virtutis, aut maris, *Mari*) expectorauerat metus, malæque causæ conscientia, vt profundos, vndososque gurgites, in quibus te nec natare, nec nauigare posse probè nosti, vel intueri non sustineris ? *Iners malorum remedium ignorantia*; Peius dissimulatio : Tibi tamen per totum hunc librum tuum frequens : Quod certè te non magis liberat, quam damnatum in patibulo moriturum vultus auersio, aut oculorum obuelatio, ne vindicem gladium coram aspiciat.

Alterius pelagi tantum vada tentare, ac littus legere cæpisti, ex tuorum Monarchicorum varijs centonibus velũ consarciens. *Petro superædificare* (inquis num. 24.) *idem est, quod per ipsum homines circa fidem, doctrinam, & mores instruere, difficultates exorientes componere, dubia decidere, controuersa determinare, inobedientes compescere, ac omnia peragere, quæ ad ædificationem, conseruationemque Ecclesiæ requiruntur*. Hui Leonarde. *Tantumne cymbarum, tantumne piscium ?* Hic scilicet merces vestras exponitis, sed scalmum nullum video, quo sustententur ; hic de fundamento rhetoricamini, sed absque fundamento. Enimuero quo-

quomodo hæc etiam metaphorico fundamento possunt conuenire? Sed esto; ita sit: donentur ista tibi gratis modò; applica hæc Petro soli, separa hæc ab omnibus alijs Apostolis. Non ergo per Apostolos reliquos Iudæi gentesque circa fidem, doctrinam, et mores sunt instructi, non illi difficultates exorientes in suis Ecclesijs cõponebant, non dubia decidebant, non controuersa determinabant, non compescebant inobedientes. Nihil illi sigillatim, nihil communiter, nihil doctrinæ, nihil disciplinæ primoribus digitis attigerunt, nisi Petro prius sceptrum admouente, veniamque, & potestatem largiente: nihil illi suo iure administrabant. sed vt Petri ἔργατα ἀψυχα, ab eius vnius nutu semper pendebant. Philippus ex Aethiopia, Iacobus ex Hispania, Thomas ex India, alij ex alijs terrarũ tractibus ad Petrũ Romæ degẽtem hæc deferebãt, & ab eo, vt hæc præstarẽtur, expectabant. Hæc credat *Marius*, vt rideat *Lohetus*. Sed etiã ex clauiũ, & pastoris metaphoris id dicis te colligere. Sic vos incerta, & dubia per incertiora confirmatis; sic tenebris tenebras depellitis, Illuminatissimi Doctores.

Progrederis num. 26. *Sicut in domo fundamentum eius dicitur Pater, quia liberos generat, aut facultates adauget, leges Oeconomicas statuit, &c. ita Petra dicitur, & ædificationis fundamentum quia liberos spirituales generat &c. facultates eius, non temporales præcipue, sed spirituales curat.* Hic callidè tu quidem, et subdolè potestati Ecclesiasticæ Petri res, non tantum spirituales, sed etiam temporales subijcere satagis, ac verecundè illud tuum *non præcipuè*, quasi terminum diminuentem

inter-

intertexis, vt ab aperta Canoniſtarum Somia abhorrere videaris, cum tamen illa tua moderatio nihil aliud ſonet, ſi excutiatur, quàm à Ieſuitis confictam indirectam Papæ in temporalia poteſtatem, ſono quidem molliorem, ſed re ipſa vſuque æquè patentem, potentemque. Pergis. *Vt ſi ea quis ei cum Marco Antonio ſubtrahat, conſequenter etiam totam fundamenti dignitatem ſubtracturus ſit.* Et de Domino meo furtim in margine ſubinnuis, *dum à Petro non vult regi, aut corripi, vt filius, neque illi, vt fundamento ſuper ædificari, eum extra benignam Dei manum, & Eccleſiæ domum ſeſe ipſum præcipitaſſe.* Age miſer argumentis, non latratibus. Itane vero? Num Petrum non audit? Vtinam verò Romæ Petrus audiretur: vtinam à Petro, non à Romulo, Roma regeretur. Tum certè Romam, ſi non adiret, ſaltem audiret Dominus meus: qui quidem non modo à Petro ipſo, alijſue, ſi in terris agerent, Apoſtolis, vt filius, regi, ſed à quibuſcunque Apoſtolico gradu ſuccedentibus Apoſtolicamque afferentibus doctrinam, imo à quouis cordato, & modeſto, tibique, Leonarde, diſſimili Theologo, vt frater dirigi, corrigique ſe & pateretur, & lætaretur. Ille apertas, voce, ſcriptoque, ſæpe agit Deo gratias, quod ſolidæ inconcuſſæque Petræ adhæreat, quod firmiſſimo Prophetarum, & Apoſtolorum, ideoque Petri, fundamento ſit, Deo dignante, ſuperædificatus, in Chriſti domum per Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti miniſtros adhuc infans fuerit introductus. Quam domum, & veram matrem ſuam, extra quam non ſit ſalus, agnoſcit ſanctam Chriſti

Pag. 223.

ſti Eccleſiam vniuerſalem, in qua et lętus viuit, & ſe moriturum cum diuina gratia confidit. At vero domum illam Romanæ Curiæ, non domum Chriſti, ſed lupanar animarum, fugit merito & deteſtatur.

Explicationem myſticam ædificationis, quam poſuit meus Dominus num. 21. in quadam tua parentheſi ſugillas num. 27. quod mentionem non fecerit externæ Prelatis debitæ obedientię: Sed hic etiam tuæ eſt pruritus linguæ. Annon poſuit *fidem, et ei adnexa*? Caue, Mari, bicornem hanc tibi in pectus arietantem ratiunculam. Hęc externa obedientia, aut eſt annexa fidei, & tum omiſſa non eſt; aut non annexa, & tum parum neceſſaria. Proſtraui te, mi pugil. Pag. 224.

——*En pronus in ipſo*
Concidis immundoque ſimo, ſacroque cruore.

Nolo autem hic te proſtratum anima exuere.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.

Surge & collige te. Adeone es vertiginoſus, vt tibi faſtigia, & ornamenta ſint domus ipſius fundamenta? Pertinet quidem ad decorem, pulchritudinemque domus Dei externa obedientia paſtoribus exhibenda, non tamen fundamenti loco habenda. Doctrina, & fides, quam mihi homo, Chriſti miniſter, tradit, eſt meum fundamentum; miniſter verò, à quo inſtruor, cui in Domino obedientiam debeo, non eſt meum fundamentum. Architectus, & cæmentarius, vt ſupra monui, domus fundamenta collocant, ſaxa coagmentant: at neque cæmentarius, neque Architectus eſt domus fundamentum. Sic qui miniſtros ipſos pro ſuis accipiebant fundamentis

ſchiſma

schismata pessima pariebant 1. Cor. 1. *Ego sum Pauli, ego vero Apollo.* Vrit te quod Dominus Spalatensis tuo Papæ vt Domino subdi nolit, neque super ipsum sicut super fundamentum ædificari. Iam tamen didicisti ex pluribus mei Domini locis, nullum Episcopum iure diuino esse vlli Episcopo subiectum. Episcoporum Episcopus nemo lib. 2. cap. 5. num. 38. Et ita, iure diuino, tenetur Archiepiscopus Romæ parere Archiepiscopo Spalatensi ipsum corripienti fraternè, & monenti, sicut Archiepiscopus Spalatensis Romano. De subiectione vero Ecclesiastica Episcoporum, quam introduxit necessitas, sanciuit antiquitas, laudauit & adhibuit vniuersa Ecclesia, hic non est agendi locus. Visibilem verò illam, & externam lapidum vnionem in ædificio Ecclesiæ per Romanum Papam, quam ponis eodem num. 27. locumque Hieronymi tibi plene in alio sensu explicatum lib. 4. cap. 10. num. 86. scias ad Primatum Petri nihil facere. Quicquid nunc sit de Primatu Romano, vbi illum à Petro deriuatum non constat; & de vnitate per caput visibile ficta & commentitia. Vnitas enim plurium externa & visibilis per caput visibile, est vnitas humana, sæpe factio, & seditio; latrones etiam sub vno Grassatorum capite coalescunt atque conspirant.

Mox tuo more ad impertinentia, & longissime à tuo præsentis capitis, imo præsentis tuæ propositionis instituto posita digrederis à num. 28. deinceps. Probandum tibi erat Petrum ideo Primatum illum magnum habuisse, quia in verbis illis, super hanc petram, intelligendus est ipse Petrus: & hoc erat illud, de quo te nuper monui, *longum*

maris

maris æquor arandum. Ostendere debuisti primum quid sit ædificare illud,& esse Petram fundamentalem : hoc frigide conatus es. Deinde, quomodo in ædificatione, & fundatione consistat ille primatus, & hoc pro more tuo peruersè explicasti. Tertio, quomodo hæc soli Petro conueniant ; nam ea quæ omnibus Apostolis conuenisse à Domino meo est probatum : tu hic anguem metuis,rẽfugis ; de hoc ne verbum quidem: & sine hoc actum agis. Nunc tandem dicis te, à te positam expositionem probare velle ex tota Ecclesię Oeconomia, atque ex celebratione Conciliorum,per singulas ętates, & ex modo quo Ecclesia tunc regi consueuit,& ita duo hæc ante oculos proponis ; Primum, *Nemini præter Romanum Pontificem hanc dignitatem primis Ecclesiæ sæculis delatam, vt sit vniuersalis Ecclesiæ Rector.* Secundum, *Eam dignitatem Romanos Pontifices sibi perpetuò vindicasse, tanquam debitam Romanæ Cathedræ, & successoribus Petri, & eiusdem à Patribus, & Conciliis fuisse delatam.*

Non de vi neque cæde nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Magna voce sonas, manuque tota.
Iam dic, Posthume, de tribus capellis.

Toto hoc Domini mei cap. 6. lis agitur, vtrum illis Christi verbis, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*, superædificari possit Petri Primatus vllus iurisdictionalis. De solius itaque Petri in Vniuersam Ecclesiã potestate Monarchica,eadẽq; ex hoc scripturæ oraculo asserendâ nitendũ ; hæc erat tibi texenda tela, huic penso illaborandum.

Hoc

Hoc lector sibi postulat probari.

Tu vero surdaster, Leonarde, *capellas* nostras, vtcunque alta voce balantes, nihilo magis audis, quam Scopulus; tu nobis Romam, Constantinopolim, Alexandriam, tu Nicolaos, Ignatios, Leones, tu Patriarchas, Papasque obtrudis, ostentas, totisque paginis, quasi vexillis expansis longo ordine prę̃terducis. Iam, quæso tandem è diuerticulo redi ad *Petrum* nostrum: dignare obsecro apud illum, si non pernoctare, saltem paulisper diuertere. Rogauit, inuitauit, expectauit Dominus Spalatensis, vt aliquis vestrum ostenderet ei, qua ratione Primatum Petri colligatis ex illis verbis: *Super hanc petram, &c.* Baronij irritos in hoc conatus fruſtratus est lib. 1. cap. 6. n. 27. 28. Antiquos Patres produxit n. 29. quorum nullus Primatum huiusmodi Petri ex eo loco deriuauit. Inuitauit vos rursum nu. 30. vt, si quem haberetis, produceretis. Tu ad hæc tam mutus, quàm piscis, & tamen ea cardinem causæ vel maximum attingunt. Ineptias Turrecrematę conantis Primatum Petri in illa fundamenti ratione stabilire, patefecit num. 31. & seqq. Tu vnicam fimbriam arrodens tuo num. 29. dicis. *Ibi meum Dominum prærogatiuas Petri etiam personales impugnare.* Hoc tantum dicis causa: Nihil scilicet in defensionem earum addis. Sat tibi esse ais num. 30. *demonstrasse, quod verè ad Beatum Petrum, Christi verba pertineant.* Moderatus homo es, paruoque contentus, cui satis est hoc nihil. Atque hoc ipsum non minus placidè Baronius quoque sibi satis esse censebat, & inde triumphabat; cuius triumphum tamen Dominus meus satis repressit num.

num. 28. Hoc enim vobis conceſſo, nihildum habetis: & duo illa maria, quæ ſupra deſignata ſunt, adhuc reſtant vobis enauiganda.

Hic autem numero 29. digreditur homo lepidus, nempe à Capite ſpirituali vniuerſali totius Eccleſiæ Catholicæ, greſſu ſatis diuaricato tranſit ad Caput ſiue Rectorem rerum externarum vnius particularis Eccleſiæ. Sed quo, quæſo, prorùit? Qua faciem obuertit? Certè

Cœlum, non animum, mutans, huc trans mare currit.

Audet ĩners, & imbellis bellua caudam exertare, aculeum, etſi obtuſiſſimum, emittere, virus ſuum eiaculari in — *Diuiſos orbe Britannos.* Pupugit hanc feram, quod Dominus meus, Chriſti cauſa profugus, à Potentiſſimo Rege, omnium, quos ſol vidit, doctiſſimo, religionis, literarumque patrono, benigniſſime ſit acceptus, ac ab vniuerſa Eccleſia Britannica perquam humaniter habitus, honorificeque.

Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

Sed quid hic odoratus eſt iſte Sorex, quod halitu conſpurcet? Quid reperit, cui dentem infigat? Regiam ſcilicet autoritatem in externo rerum Eccleſiaſticarum regimine. Leonardus naſo ſuſpendit adunco omnes, *qui ad coetum accedunt toto orbe diuiſum, vbi fœminæ, & infantes Eccleſiæ capita ſunt.* Omnem ſceptris accedentem, ſeu virum, ſeu fœminâ, ſeu puerũ eo ipſo ſubditis, non modo laicis, ſed & Clericis præficiẽ rerum, non modo ciuilium, ſed etiam ſacrarum, gubernationem quandam externam ſuſcipere, ac ratione ſupremæ ſuæ poteſtatis *Caput* dici, & eſſe, nouum non eſt, ſed

antiquum, iuſtum, verum. Idque quo ſenſu ſit aſſerendum, ſi neſcias, Mari, diſces ex Domini mei lib. 6. cap. 6. & cap. 12. Interim quomodo vera capitis ratio Prælatis Eccleſiaſticis negetur, Regibus tamen aſſignetur, vide in ijs, quę à me iam contra tuum primum caput, vbi de influxu interno agebatur, ſunt explicata. Atqui peſſime ſonat Mario *fœminam, vel puerum eſſe Eccleſiæ caput.* Eccleſiæ caput? Quam illud malitioſè, ac proteruè, cum (quod ipſe vrges de ouibus Petri. cap. tuo 8. num. 22.) *Indefinitum æquipolleat vniuerſali?* Quaſi quis vnquam Rex, aut Regina ſe, vel in externis, ſtatuerit Eccleſię vniuerſalis caput! Probe noſti eos vltra ditiones ſuas nihil huiuſmodi arrogare, tamen generali Eccleſiæ nomine odiũ concitas. Eho mi μισογυναικοκρατὶς, μισοπαιδοκρατὶς Leonarde, Fœminam eſſe Eccleſiæ alicuius particularis in externis Caput nunquid pudet? Quale ergo portentum, Fœminam Eccleſiæ totius Catholicæ Caput in Spiritualibus, Petri Vicariam, clauium diſpenſatricem, olim Papiſſam Ioannam? Nunquid piget in regnis hęreditarijs aliquando minorennes vnà cum ſceptro omnia ſua in ciues Eccleſiaſque ſubiectas iura regalia ſortiri? Cur non æque tædeat collegio Cardinalium (Cardinalium, inquam, quos ſupremi Principis Eccleſiaſtici conſiliarios inſignitis, ſuperbiſſimeque iam Regibus ſcilicet ęquatis) accenſeri nonnunquam adoleſcentulos, pueros, puſios: quos vbi, ac quomodo perſtringat veſter *Mantuanus* tu facile poteris μαντίνευε. Quanto magis ſordebunt è veſtris ſummis Eccleſiæ vniuerſalis Pontificibus nonnulli ſatis infantes, partim ex ephebis vix emerſi

Pag. 287.

mersi, partim senio aut morbo deliri, & bis pueri, partim stupida inscitia torpentes, adeoque indocti, *vt ne Grammaticã quidẽ callerẽt*, prout testatus est vester Alphonsus à Castro, nondum castratus propter regnum Paparum. O infantia Capita, imo infanda! Annon gregis sui, hoc est Ecclesiæ suæ, capita apud vos habẽtur Episcopi & Archiepiscopi? Vide autem mihi, Leonarde, vide, ac ride spatiosæ prouinciæ infans Caput, Rhemensẽ Archiepiscopum puerum quinquennem, à Papa confirmatũ. Quod ex Frodoardo Baronius citat, prout habes Domini mei lib. 3. cap. 12. n. 50. I iam rabula, ac Anglis Ecclesię suæ capita obijce.

Sed pergis in ebuccinanda Romanæ sedis dignitate, ac nonnulla attingis à Domino meo fusè diligenterque explicata lib. 4. cap. 3. & cap. 9. ac 10. Quorum plenam tractationem, quasi Dominus meus nihil vnquam hac de re publicasset, tu in tenebris voras, ac ore pleno, sed occluso deglutis, nec tamẽ videri vis primoribus labris, digitisue attigisse. Vah lurconem furacem! Quando hæc reuomet gulæ tuæ gurges? Vide verò, Mari, quam liberaliter vobiscum agat Dominus meus, quàm honorifica priuilegia Romæ concedat. Itane verò (inquis subridens) num Romanam sedem vlla debiti honoris parte dignatus est Archiepiscopus Spalat. in primi sui iam editi voluminis parte vlla? Et sedem (inquam ego) & sessorem iustis priuilegijs, præconiisque luculenter ornauit. Illam cap. 3. hunc cap. 9. libri sui quarti. Quid suspicis, Leonarde, quasi mirabundus? Cur hæc te non legisse fingis, ac lectorem tuum oneras verbosis, quasi de re integra, ac aduersario intacta, declamationi-

tationibus? Tum Marius blandior, Gratias igitur habemus vel Domino tuo, qui nobis, quod noſtrum eſt, candidè largitur, vel veritati, quæ hoc ei nolenti extorſit. Vtcunque, tranſijt ille ergo in caſtra noſtra, ac noſtram cauſam, Papæ nempe Primatum, promouet. Hic ego, ſiſte te paruper, ne nimium applaudas tibi; priuilegia illa omnia Romana humanitùs collata ſunt, non cælitùs illapſa; nec vlli Petri Primatui ſunt affinia. Quod certe tu ſatis noſti à Domino ibidem & aſſertum, & demonſtratum. Frontem tamen perfricas, & ais, n. 31. te nondum viditſe, quid ad hæc reſpondeat M. Antonius.

Pag. 227.

Reſpondit ille lib. 3. cap. 2. & cap. 10. Eccleſiaſtica conſuetudine à Concilijs poſtea roborata, inductam eſſe quandam legitimam, & bene ordinatam Hierarchiam Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum plurium, non vnius, qui ſinguli eſſent ſupremi in ſuis Patriarchatibus; & hac occaſione paullatim ingreſſam eſſe tyrannidem, qua Romanus Epiſcopus oppreſſit tandem Eccleſiam, & eam ſua priuauit libertate, Principibus ei ad hoc fauentibus. Initia, & progreſſum huius oppreſſionis habes, præſertim lib. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 8. ac. 12. Habebis ſæpe & in libris ſequentibus.

In quibuſdam tuis extra rem probationibus nitebaris potiſſimum Pontificum tuorum in propria cauſa ſuſpectis teſtimonijs, quæ ſciebas nullo iure admittenda, ideo paucula præfaris n. 31. ſed fruſtra; quià ſemper ex ſe pro ſe affirmantes erunt ſuſpecti, quod iam ſæpius oppoſuit, & meritò, Dominus meus; necdum ipſius oppoſitionibus eſt reſponſum.

Pag. 227.

responsum. Quam insulsum verò illud, quod ipsi in sinum regeris. *Mirum est M. Antoni posse te testimonium perhibere de officio & gradu tuo, Pontifices verò non posse de suo.* Tibi iterum hoc inculcanti iterum respondeo, Dominum meum à nemine emendicaturum, vt sibi nudè asserenti credatur, sed vt probanti, solidisque rationibus pugnanti cedatur. Si Pontifices tui hanc de se legem tulerint, facilè lis hæc conquiescet. Vnde verò incipis n. 32. probare Romanos Episcopos fuisse ab Ecclesia pro Papis vniuersalibus agnitos? Ab octaua Synodo iam sæculo nono. Hui quam ingens χάσμα? Hiatum relinquis vacuum nongentorum annorum inter Petrum & Nicolaum, ita scilicet Ecclesia non agnouit Romanos Pontifices à Petro habere primatum, nisi primum in Nicolao. Nominas quidem postea n. 37. motu retrogrado priora quædam Concilia: nominum quidem nudorum ostentatione vsus, vt decipias simpliciores, sed nihil ex ijs profers; quia in ijs ne ramulum quidem in quo pedem figeres, inuenire poteras, vt cuique legenti mei D. librum 4. cap. 4. & cap. 8. initio, & cap. 10. est manifestum. Et quia videras à Domino meo lib. 4. cap. 10. sublata vobis esse omnia Conciliorum fulcra, quibus Papatum vestrum soletis furtiuo nixu ad speciem sustentare; & de octaua tamen Synodo nihil dixisse, (quia eam in suum octauum librum reiecit, vbi de iudicijs Ecclesiasticis & appellationibus plenè agit;) tu literas quasdam Ignatij Constantinopolitani in octaua Synodo lectas græco latinoque contextu verbose exaggeras n. 32. 33. & sequentibus, & sane has solas, nihil aliud, extra rem tamen, vt iam te monui. Ac

Pag. 229.

Saltus ingens Marij.

nui. Ac ne tibi nimium in hisce Ignatianis dictis blâdiaris, scias hunc esse illum Ignatiũ, qui, quamuis hic (vt ipse loquitur) τυραννίδι *tyrannide oppressus*, omnia auidè arrepturus, subsidia, Pontifici Romano, quantum potest, blandiatur, ac eius Sanctitatem splendidis, turgidisque titulis demulceat, eundemque pulchro Petri Apostolorum Principis nomine, ac successionis pompa cohonestet, postea tamen acerrime restitit eidem Nicolao Romano Bulgariam conanti à Constantinopolitano Patriarcha auellere; quo nomine etiam excommunicatus fuit Ignatius à Nicolao, & in ea excommunicatione, ab illo sancto viro, & miraculis celebri merito contempta, ille mortuus est. Hæc habes lib. 3. cap. 12. n. 13. & lib. 5. cap. 11. ac libro 8. alia de causa idem habebis. Ne ergo nimium de Ignatianis epistolis glorieris: quia ille primatum quendam Ecclesiasticum iure Ecclesiastico, & priuilegio humano habitum in Romano Episcopo agnoscit, de quo vide lib. 4. cap. 9. & successorem Petri vocat, non in primatu, seu Papatu vniuersali, sed in sede Romana, quatenus Romæ Petrus prædicauit, & ibi mortuus putatur.

Commemorato Photio, illi Dominum meum comparas, in vtrumque pariter iniurius & contumelioſus. Photius fuit vir egregius, & sapientissimus, ac optimus Patriarcha, quẽ iniustissime persecutus est Nicolaus, sed à Ioanne octauo pro legitimo Patriarcha est agnitus, vt habes lib. 3. cap. 12. n. 49. Tu eum nimium petulanter ac impudenter latrocinij insimulas, cuius tamen electioni nihil aliud vnquam obiectum est, nisi illum fuisse laicum, vt habes lib. 3. cap. 4. num. 18. Et tamen

ille

ille ex laico ſtatim conſecratus eſt Epiſcopus: Hodie vero ſub Papatu Archiepiſcopales ſummas ſedes occupant laici, in laicatu perſeuerantes, neque conſecrati, neque vnquam fortaſſe conſecrandi: tu bene noſti.

Poſt hęc tu linguâ tuam mendacẽ, maledicam, tinctã *Lernæi felle veneni* ſoluis in Dominũ meũ, quẽ *ſanguine & latrocinijs prænijs ingreſſũ in Epiſcopatum* blateras. Cuius tamen ingreſſum non innocentem modo, ſed & honorificum vide (ſi præ inuidia intueri poſſis) in calce huius operis. Interim tu latro alienæ famæ, & graſſator Orco digne, para tibi crucem. Sed audin? eſto etiam tibi ipſe carnifex. Neque enim quenquam inuenies, qui vel ipſo ſuſpendij tui momento olidiſſimi illius oris, in latrinis, cloaciſque expurgandis, imo conſpurcandis detriti, halitum peſtilentiſſimum poſſit ſuſtinere. Quid verò rabide canis? Cenſen' hanc rictus tui ſpumoſam ſaniem ijs ſuauem, gratamque, qui te, vt hæc elatrares, rancidi panis fruſtulo conduxerunt? Scio te etiam ipſi, cui ſupparaſitari cupis, Pontifici nauſeã iſta tua ſtercorea fœditate commoturum. Mihi certè & faſtidio, & probro, & crimini eſt cum tam inani, immani, infami monſtro in literaria palæſtra decertare; quicum certe non verbis, ſed verberibus agendum eſſet. Marij impia maledicentia.

Pergam tamen tuam, quoniam incœpi, ſtramineam, exilemque diſputatiunculam ſubruere. Quid tibi firmitatis in Hormiſdæ ſuum proprium thronum extollentis oratione, confingis? Annon vidiſti libro 4. cap. 10. num. 37. iam Fœlcem tertium cœpiſſe ad ſe locum Euangelij de

de ædificatione Ecclesiæ super petram, obtorto collo trahere; quod ante illum nulli Romanorum Pontificum in mentem vnquam venit?

Dormitauit noster Marius in suo sexto capite, oblitus instituti, non modo nostri, sed & sui. Ad finem autem, vbi iam illud caput erat claudēdum, expergefactus, ex duobus alterum pelagus sibi necessario, nisi semper ridiculus esse pergeret, tentandum intuitus, sensit illud sibi iam incumbere, vt probet Petro soli fundamenti dignitatem conuenire, & non alijs Apostolis: alioquin Primatum Petrus sibi nullum inde vindicare potuisset. Sed statim aduertens

Horribiles ventos tempestatesque sonoras

contra se oborientes, iterum ad littus se recipit, ne periclitetur. *Sunt & reliqui*, inquit, *fundamenta, sed non eodem modo, quo Petrus.* Si ab eo quæramus modi huius differentias: *Fundamenti*, inquit, *dignitas in Apostolis communis est, in Petro propria, & non communis cum cæteris.*

Hoc dicto, fugit, & nocti se se implicat atræ.

Quid enim aliud faceret, cū in stadio suo vlterius pergere ne latum quidē vnguem potuerit. Viderat probè (quanquam non vult vidisse) Dominum Spalatensem hoc ei effugium totum præripuisse num. 44. & seqq. vsque ad num. 50. & Turrecrematam num. 43. ac Bellarminum num. 48. 49. vt manus in hoc darent, compulisse; nimirum æque penitus fuisse fundamenta Apostolos omnes, ac ipsum Petrum, in ipsa nempe ratione fundandi, & ædificandi Ecclesiam. Sed astutus Sinon

— dolis instructus, & arte Pelasga,

quiduis in rem suam & simulat, & dissimulat.

SEP-

Septimi Capitis

Mariani insomnia delusa.

FAbri ferrarij filium oportet esse Leonardum nostrum, cui tam mirę subtilitates circa claues, ex arte fabrili petitæ, suppetunt ad manum. Sed tu sanè, dum minutulis quibusdam materialium clauium proprietatibus, & allegorijs prodigiosum nescio quem Petri, & Paparum suprematum fundare contendis, agis, non tam fabriliter, quam pueriliter. Num propterea Petrus solus est Dominus factus Ecclesiæ, quando sunt ei claues promissæ, quia claues totius domus paterfamilias solet habere? Qualia fundamenta tua profecto, talis etiam structura. Dogmata fidei non sunt ex friuolis allegorijs ingenioli humani fundanda: & quid metaphora clauium significet in loco proposito ex ipsa Scriptura, & Patribus est colligendum; & quæ de claue Dauid affers nu. 3. habes fusè explicata à meo Domino in alio sensu, præsertim literali lib. 1. cap. 7. num. 10. 11. quę tu, ne tibi sis dissimilis, dissimulas. Mox dictinctionem cudis inter *aperire & claudere*, ac *soluere & ligare* num. 7. cum Caietano: Sed differentiam hanc Caietanicam esse falsam probauit Dominus Spalatensis num. 7. 8. 10. quam etiam Bellarminus reiecit, vt vidisti apud Dominum meum n. 7. Deinde confirmas à num. 8. ad 12. id quod Dominus meus num. 1. 2. 3. 15. concessit, cum Petro in ipsiusmet persona Christum loqui, eique claues promitti; in hoc ergo ei nihil aduersaris. Sed quod Pag. 146.

Pag.353. quod ais num. 16. deductionem, quam ipse Dominus meus elaborat ex Patribus, Apostolos nimirum omnes non minus quàm Petrum accepisse claues, magno Petri primatui nihil aduersari, certo hoc etiam mihi monstri simile esse videtur. Quomodo verò id ostendis, & ab ipsa deductione te liberas? Illud notatu dignum vrges, Marcum Antonium quatuor ad extremum autoritates, post Patrum antiquiorum productionem n.4. addidisse, Rabani, Lyræ, Lemouicensium & Colonien sium.

Quid tu contra hanc quadruplicem autoritatem? Clamas num. 17. *Marcum Antonium suas consequentias ex his impudenter deducere.* Itane? Cur quæso? *In Concilio*, inquis, *illo Colonien si adsunt interrogationes, quæ Primatum Petri, & Romani Pontificis supponunt.* Hinc *veteratorem Marcum Antonium* vocas, & conuicijs de more proscindis. O dignum hominem, qui aratrum tractet colonus, non qui Colonien sem teneat Cathedram, aut de Colonien si verba habeat Concilio! Nonne verba ipsa Concilij sunt à Marco Antonio prolata? Elige, imprudens haberi velis, an impudẽs. hoc est, Negas-ne ea verba in Concilio illo haberi, an fateris? Certè cum non neges, fateris. At quem alium sensum habent illa verba, nisi eum, quem Marcus Antonius colligit? Tu certe alium non profers: Sed neque vnquam negauit Marcus Antonius Concilium illud vel Petri, vel Papæ Primatum absolute agnoscere: dixit, eo loco id ipsum non agnoscere. Tu ipse verba Marci Antonij producis num. 16. videlicet: *Et consequenter illi Monarchiam Petri, certè hoc*

loco

loco, non agnoscebant. Intelligin' quid sibi velint ea verba: *certe hoc loco?* Tua est ergo impudentia, tu veterator, tu sycophanta. Marcus Antonius suum dictum ad vnicum illius Concilij locum arctat, & limitat; tu ad alia loca euagaris, vt tibi ipsi præbeas occasiones obtrectandi. Sed planum est, inquies, alijs locis Concilium hoc Petri, & Papæ Primatum tueri: non ergo potuit hoc loco contrarium dicere, vel innuere? Idne tibi mirum videtur? Veritas genuinam vocem hoc loco elicuit; adulatio & poculum Babylonicæ meretricis contrarias, contra ipsorum conscientiam, alijs locis effinxit: sicut & nunc tu, tuique similes, licet de veritate sitis a Domino meo planè conuicti, verbis tamen assentatorijs, Papæ mancipia, contra conscientiam, in contrarium nitimini. Inueterati dierum malorum, species decepit vos istius Colonien sis facultatis spurios filios, vt allecti promissis prandijsque prope habitantis, ac ad mensam sepe tales inuitatis Nuntij Apostatici, volui dicere Apostolici, & censuram simul cuderetis infantissimam, & tu libellum famosum: vt fecerunt etiam parasiti Parisienses (saluo honore bonis) Notum est iam toti orbi, crede Mari, Romanum vestrum Pontificem susque deque mouere omnia, per suos Nuncios, per Principes ipsius assecias, per literas, per Inquisitores, & suos ministros, vt Facultates, præsertim à meo Domino in sua præfatione nominatę, contra ipsum non disputationibus, ad quas solas eas ipse inuitat, sed simplicibus censuris, quasi edictis Imperatorijs, insurgant. Hoc nũc solicitat ipse Papa anxiè per Inquisitorem, etiam apud

Papæ conatus aduersus libros Spalatenses.

apud Patauinam. Damnationes libri emendicat, ſiquidem de reſponſione deſperat. Miſerum Papatum, qui iam tam putridis ſuſtentatur fulcris. Hæc in gratiam tui Concilij Colonienſis inconſtantis.

Putabam te, Leonarde, memorem tui, quatuor illa teſtimonia citata velle Domino Spalatenſi eripere; & expectabam quid de *Lemouicenſi Concilio*, quid de *Lyrano*, quid de *Rabano* diceres; ſed plane tui immemor eſſes, ſi vnquam talium memor. Ego nihil video: nihil poſthac de his me vnquam viſurum ſpero. Propoſuiſti illos ipſos autores num. 17. alijs locis aliter docturos, ſic
Pag. 254. enim ais; *Ipſi eidem Autores & Concilia alijs locis apertiſſime docebit.* Scuticæ te ſupponerem, Mari, niſi ſcirem te tuos ſolœciſmos typographo tributurum. Cæpiſti ab vltimo, ſatis id infæliciter. Cur non oſtendis Concilium quoque Lemouicenſe, Lyranum, & Rabanum alijs locis contraria tradere? Hic in triuio anceps hæreo, ſitne obliuio hæc tua? an inſcitia? an dolus? Si nihil habebas auribus dignum, quod in prioribus tribus objiceres, cur eos ab alijs, vt notatu dignos, ſeparaſti?

Tam inſigni præmiſſa animaduerſione, ad rem
Pag. 256. videris num. 20. velle accedere, hoc eſt, ad præcipuam huius capitis quæſtionem. An videlicet omnibus Apoſtolis, æque ac Petro, claues fuerint à Chriſto datæ. Sed pari animo, ſimilique exitu. Vt enim illam annotationem præmittebas, qua M. Antonium morderes pro tuo Concilio Colonienſi, ita hic obſeruationem quandam præfigis, vt eundem facias ſcilicet *mendacem, & impoſtorem*

posſorem. Vtrumque ijſdem auibus. Deinde ad tuam rem neque notatione tua amplius vteris, neque obſeruatione: vt plane conſtet te non ſolida quatere M. Antonij fundamenta, ſed diuerticula latebraſque quærere, in quibus nemine nuditatẽ tuam videnteapplaudas tibi, ac exultes. Non miror quod reſtites, quod nullo modo te protrahi patiare ad ipſũ præcipuæ iã propoſitæ quæſtionis neruum: hic neruus collo tuo laqueus eſt, hæc quæſtio tortoris equuleus.

Diuerticulum in quo acerbitatis tuæ virus euomere voluiſti num. 21. eſt, quòd dixerit meus Dominus, Caietanum negare claues etiam Apoſtolis eſſe datas. Hic tu *M. Antonij impudentiam, mendacia, impoſturam, Sycophantias* inclamas, quia Caietanus non negauit claues eſſe datas Apoſtolis, negauit duntaxat eſſe promiſſas, quod in Euangelio eſt clariſſimum: quia nunquam Apoſtolis ſunt promiſſæ, ſed ſoli Petro. Bona tibi ſunt latera ad conuiciandum: Sed oculi mali ad legendum: annon videras verba illa Domini Spalatenſis num. 7. *Principatus verò Petri non in ſolis promiſſis, ſed in promiſſi executione eſt indagandus!* Dicas mihi, loquacule procacule, cucule, cur Caietanus vrget Petro promiſſas claues, Apoſtolis non promiſſas, niſi vt inde Petrum, etiam reſpectu clauium, præferat Apoſtolis? Si promiſſæ, & non datæ, promiſſio inanis eſt, & primatus inde collectus inanis; Si Petro ſeorſim promiſſæ, datæ tamen omnibus, quid ex nuda promiſſione, cuius executio fuit æque in omnibus, habet plus Petrus? Et ſi Petrus habet Primatum ſuper Apoſtolos propter claues, vt contendit Caietanus, certe

Pag.257.

certe, cum ex nuda promiſſione, quæ effectum ſortita non fuerit, illum habere non poſſit, oportet illum propterea habeat, de mente Caietani, quia illæ claues, quę promiſſæ ſunt Petro, & conſequenter etiam datæ (nam Chriſti promiſſio nunquàm irrita) non ſunt eædem, quæ datæ ſunt Apoſtolis; Imo abſolutè Caietanus negat Apoſtolis datam eſſe poteſtatem aperiendi & claudēdi, licet data fuerit poteſtas ligandi & ſoluendi, ſeu retinendi & remittendi: & conſequenter negat Apoſtolis datas eſſe claues, quatenus aperiunt & claudunt, quas ſoli Petro Chriſtus promiſerat, & poſtea dedit: concedit verò datas etiam Apoſtolis, quatenus ligant & ſoluunt, expreſſe tamen negat Apoſtolis datam eſſe poteſtatem adæquatam clauium: quod eſt pueriliter argutari, vel euanidas bullas in aerem ſpargere. Has Caietanj tricas diſſoluerat cenſura M. Antonij. Scilicet Patres abſolute in manibus omnium Apoſtolorum ponunt claues ſub vera metaphora clauium ad aperiendum & claudendum: claues enim ſi non poſſunt aperire, & claudere, claues non ſunt. Ecquid iam rides, iamne agnoſcis, bardorum obtuſiſſime, Caietani ſententiam negare claues datas eſſe Apoſtolis illas, quæ promiſſæ & datæ fuerunt Petro? Quod ſi in ſola promiſſione, & non in exhibitione clauium vis a Caietano prælatum eſſe Petrum Apoſtolis, ac inde Primatum Petri cum Caietano, velis colligere (vt facis num. 28.) tibi haud ſanum eſſe ſinciput aperte conſtat.

Pag. 163. Sed pergamus in cauſa. Ex diuerſitate poteſtatis aperiendi & claudendi, à poteſtate ligandi &

& ſoluendi tibi cum Caietano ferme idem paras effugium num. 23. & ſeqq. Quod quia Bellarminus reiecit, tu conciliare conaris num. 22. hos duos Cardinales, puerili quadam adinuenta diſtinctione poteſtatis iuriſdictionis Eccleſaſticæ; nempe vt alia ſit iuriſdictio in eos, qui iam ſunt in Eccleſia, alia in eos, qui nondum ſunt in Eccleſia, ſed per illum ipſum actum admittuntur in Eccleſiam. Atqui hoc non eſt conciliare Caietano Bellarminum, ſed ſoluere Bellarmini obiectionem, & ita victoriam tribuere Caietano. Bellarminus enim poteſtatem Eccleſiaſticam totam ponit eſſe vel *ordinis*, vel *iuriſdictionis*; & ſic totam contineri ſub poteſtate ligandi, & ſoluendi: nec ab hac vult eſſe diuerſam aliquam, quæ ſit duntaxat aperiendi & claudendi. Tu hanc inuenis in prima admiſſione aliquorum in Eccleſiam; & ſic deijcis, non concilias, Bellarminum. Pag. 259.

Hic tamen tua aperiendi & claudendi poteſtas, quam pluribus nugis perſequeris num. 23. & ſeqq. eſt tuum quoddam ſomnium: Poteſtas enim inducendi homines, ſiue infantes, fidelium filios, ſiue etiam adultos infideles in Eccleſiam, eſt poteſtas ordinis, quam habuit, non ſolus Petrus, ſed omnes Apoſtoli, & nunc habent omnes Epiſcopi, omnes Parochi; etiam Diaconi, imo & Laici & fœminæ, imo etiam Turca, & Gentilis, ac quiuis Infidelis (vt eſt communis veſtra doctrina) quia hi omnes poſſunt baptizare. Neque actus baptizandi eſt actus iuriſdictionis, neque aperit Eccleſiam; illa enim eſt omnibus intrare volentibus aperta, & peruia. Eſt potius actus inducendi hominem in Eccleſiam apertam, quàm aperiendi

aperiendi Ecclesiam clausam; quæ certe nunquam est clausa; sed patet cum adeuntibus tum redeuntibus. Et quando Ecclesia excommunicat, tunc non clauditur excommunicato, sed ille excluditur & eijcitur; fores tamen ei non clauduntur, sed apertæ relinquuntur, vt si velit, possit reingredi, aut saltem reinduci, ostio semper aperto manente. Et hoc tuum commentum vanissimum reducitur tandem ad potestatem nouas gentes conuertendi, nouas Ecclesias fundandi, &c. de qua meus Dominus fusè agit lib. 2. cap. 7. & cap. 8. quæ tu sicco pede præteris num. 27. hæresum autem condemnationem; & hæreticorum abiectionem, & reductionem, ad quoscunq; Episcopos spectare, & præsertim ad Synodos: (de quo tu num. 26. 27.) disces ex Domini mei lib. 7.

At quis melius tibi potuit explicare potestatem aperiendi & claudendi in Ecclesia non esse aliam, nisi ipsammet potestatem ligandi, & soluendi, quam Christus ipse, si Patribus non credebas? *Tibi dabo*, inquit, *claues*; ad quid, quæso, dicas Domine Iesu? Quis erit harum clauium effectus proprius, propter quem sis eas concessurus? Subdit statim; *Et quodcunque ligaueris &c.* sed tu cæcus & excors in officina ferraria putasti te inuenturum, quod in officina Euangelica quærere noluisti.

Sed detur tibi aliquid; placeat tibi tantisper commentum tuum; Memineris tamen huius septimi capitis totum argumentum in eo solo consistere, vt agnoscatur, An ex illo loco Matt. 16. *Tibi dabo claues*, & *quodcunque ligaueris &c.*

Pri-

Primatus ille veſter magnus Petri colligatur. Ne quæſo, quaſi ſaltillans pulex, euageris. Quæro igitur ex te an poteſtas hæc aperiendi & claudendi fuerit æquè in omnibus Apoſtolis. Negare non potes: ſed expreſſe fateris fuiſſe n. 29. Alioquin de ſtercore bouũ lapidandus fuiſſes, ſi negaſſes. Paulus profectò adhuc pluribus gentibus & nationibus aperuit Eccleſiam (vt tecum loquar) quàm Petrus: aperuerunt pro ſuis viribus, & omnes, non modo Apoſtoli, ſed & Apoſtolici viri. Non ergo ex clauibus hiſce Petrus Primatũ vllum ſpecialem habet. Hic eſt nodus, imo vlcus, quod ne attingas quantum potes caues. Attrectandum tamen tibi erat aliquatenus, ne prorſus defugiens ſibilis exciperere. Quomodo ergo nodum ſoluis? Ad ſolam nudam, putidam & ſiccam, ac toties tibi tuiſque omnibus Hieromonarchicis ereptam confugis *ſucceſſionem* num. 31. Pag 265. ſacram vobis anchoram, non illam auream, non ferream, ſed ſtramineam. Si ex vobis quæram vnde habetis Petro ſuccedi in clauibus, Apoſtolis reliquis non ſuccedi? Tu Gordianum hunc nodum ſoluere nunquam tentaſti, ſed, tanquam magnus Alexander, vnico ac breuiſsimo ictu diſcidiſti. *Apoſtolis* (inquis, num. 31.) *in illa poteſtate ligandi, nemo Epiſcopus ſucceſſit, ſed ſolus Romanus Pontifex. Et miror*, ais, *rem toties inculcatam ita præteriri inanimaduerſam: aut potius credo diſſimulari ab eo* (Spalatenſi) *tanquam non animaduerſam, quia videbat eſſe veram, & impugnatu difficilem.* Eho, Leonarde, iam te teneo. Iterum te ipſum prodis, Sorex, veſtigio tuo. Non poteras, tam aſſiduus, ac exercitatus *ei pen*, tacere de diſſimulatione.

Tun credis à Domino meo *dissimulari*, *vt impugnatu difficiles* Papilatrarum hasce distinctiunculas? Num, quæ vestri ponunt, ille quasi non lecta, non intellecta præterit? Tu hæc non credis Mari. Sed tuam ipsius infamiam minuere te posse putas, si dixeris morbum tuum alijs esse communem, quem tamen ego censeo tibi soli esse proprium; ac à teneris vnguiculis insitum, vtpote cui in cunis vagienti, vt *Alecto* serpentinum virus, ad conuiciatorem armandum, ita *Lauerna* vulpinam calliditatem, ad dissimulatorem acuendum infuderat. Respice vero, laruate, versipellis, Proteu, respice, quæ inuitus aspicis. Nunquid frequentius, aut exactius à Domino Spalatensi in suis quatuor primis quicquam exagitatur & impugnatur libris, quàm ista hæc vestra iam nimium fastidita de *successione* insomnia? Vide præcipua loca Domini mei lib. 1. cap. 3. n. 21. & n. 33. & lib. 2. cap. 1. toto & cap. 5. sæpius. Hæc *Mari* oculos sauciant, imo effodiunt tuos. Quod autem ais B. Petri successoribus id, ex Patrum sententia, deberi, quod B. Petro, erras plurimum, si per successores B. Petri intelligis solos Romanos Pontifices: iam enim vidisti lib. 2. cap. 1. Petri & omnium Apostolorum insolidum successores esse omnes & singulos Episcopos. Cur vero interdum Romanus Episcopus *Caput* vocetur, & *Primus*, citra supremum, illum aut suum, aut B. Petri Primatum, causas habes lib. 4. cap. 9. plenè explicatas.

Bellarminus asserebat Patres Petri Primatum agnoscere & attestari: Dominus meus Spalatensis hoc ei negauit, & obiecit n. 13. eum summa Patrum laborare inopia ad probandum, quod asseruerat

erant

erat: tu negas n. 32. Bellarminum hac inopia laborare, & mendacij arguis Dominum Spalatenſem. Sed neque huius mendacij, neque tuæ negationis rationem aſſignas vllam. Debuiſti profectò aut apud Bellarminum inuenire copiam Patrum Petri Primatum confitentium, aut pro ipſo ſupplere, ac docere ipſum potuiſſe multos Patres producere, quos tu tamen iam ipſe allegare debueras ac vrgere. Quis iam mendax Leonarde? Mox Pag. 267.
ingentes excitas tragædias n. 32. 33. quia typographus pro verbo (*Petro*) per errorem poſuit *Patres*; vbi Maldonati locus affertur a meo Domino, & debita notatur cenſura. Meus profectò Dominus optimè ſciebat ſuos libros in doctiſſimorum hominum manus peruenturos, eóſque Epiſcopis omnibus Catholicæ Eccleſiæ deſtinauit, & doctis omnibus diiudicandos commendauit. Non fuit adeò ſtultus, vt ſperare potuerit ſe tam oculatis viris fucum facturum, vt inde ignominiæ non leuis notam eſſet reportaturus. Fidem ſuam & candorem in citandis Autoribus perpetuò profitetur ſingularem. Neque ei opus erat mala fide peruertere verbum *Petro* in verbum *Patres*. Cenſura enim ipſius aduerſus Maldonatum eadem eſt, & integra perſeuerat ſub vera lectione, abſque vlla illius verbi mutatione, vel peruerſione. Tu tamen magis ſuſpicionem doli auges ex alterius verbi mutatione, nimirum verbi, *æquè* in verbum, *etiam*; ſed tu cenſor es doloſus, & fraudolentus: qui verbum, *æquè* ſupponis ſubdole, cum in editione Lugdunenſi (qua vſus eſt Dominus Spalatenſis) non ſit *æquè*, ſed *atque*. In dictanda certè cenſura illa Dominus meus ſenſum recto pede ſequutus poſue-

rat *etiam*, pro *atque* : Ingens vero crimen multiſque hecatombis expiandum ! At hæc immutatiuncula nihil penitus ſententię Maldonati detrahit, imò eam reddit clariorem. Illam verò cenſuram in Maldonatum merito conuenire patet : nam expreſſe profitetur ſibi Patres omnes, vno excepto Origene, eſſe aduerſos ; qui omnes eodem ſenſu accipiunt verba illa Chriſti ad omnes Apoſtolos : *Quæcunque alligaueritis* &c. quo illa, quæ Petro dicta ſunt, *Quodcunque ligaueris* &c. *Ego verò* (inquit Maldonatus) *non eodem ſenſu, quo Petro, atque alijs Apoſtolis dictum interpretor.* Ab ipſo ergo incipit hęc noua interpretatio ab omnium Patrum interpretatione diuerſa, & ſic relictis Patribus, ſua noua interpretatione, non eandem, vt illi, ſed aliam poteſtatem ponit in Apoſtolis omnibus, per illa verba, *quæcunque alligaueritis* ; & aliam in Petro per illa, *Quodcunque ligaueris.* Videſne igitur, homo inſulſiſſime, cenſuram adhuc ſtare, nec penitus mutatione illa vocis *Petro*, in vocem *Patres*, indigere ? Deſine iam τραγωδεῖν καὶ βοᾶν & vipeream iſtam compeſce linguâ : neque de lapſibus typographicis, quibus ſcatet primum illud volumen, in tragicos erumpas clamores.

Fundamenta magni Primatus S. Petri, quæ vos Monarchici ex Euangelio petenda eſſe ſomniabatis, concutere meus Dominus non deſtitit ; & ſanè fæliciter : Iam enim, vel ipſis præcipuis veſtris ſcriptoribus fatentibus, eò redacta res eſt, vt in verbis Chriſti ad Petrum Matth. 16. nullus penitus Petri Primatus contineatur ; ſiquidem verba illa omnia ex omni parte, etiam in reliquis omnibus Apoſtolis æquè ſuum effectum habuerint : quæ

ne tu

ne tu quidem negare potuisti in tua hac, vt vidimus, contra Dominum meum concertatione: fassus enim es in ipsa re, hoc est in ipsa potestate clauium, pares fuisse reliquos Apostolos cum Petro, sed non in modo eam habendi. Iam verò modum hunc explicabas ratione successionis, successionem verò à posteriori ostendebas & obscurum per obscurius, absurdum per absurdius, probare parum cordate nitebaris. At verò Magistri tui, præsertim Bellarminus, totum fundamentum diuersitatis inter Apostolos & Petrum, in eo ponebant à priori, quod Dominus cum Petro loquebatur singulariter, & ei promitteret ea, quæ tamen omnibus erat quoque concessurus, & in hac mystica Christi actione agnoscebant Petrum fieri *ordinarium* Ecclesiæ Pastorem, reliquos verò non ita, & ideo Petro dari successionem, quæ aliis non detur. Hoc est tandem vnicum hoc singulare, hoc totale Primatus Petri ex iure diuino fundamentum; sed plane arenosum, instabile, perflabile. Cui subuertendo Dominus Spalatensis machinas admouit suas, ostenditque actionem illam Christi mysticam ex genuino Ecclesiæ Catholicæ per multa incorrupta sæcula sensu consensuq; nihil penitus ad Primatum Petri spectasse. Mysteria enim septem à Patribus agnita & explicata exposuit, quorum nullo Primatus Petri ille Papalis vel innuitur, vel adumbratur.

Hic te præstolabar, Mari, vt viderem, quid scires, quid posses. Nisi hoc fundamentum inconcussum tueare, actum est de distinctione tua illa friuola inter rem & modum, & de successione data Petro, non data Apostolis: omnia corruunt,

omnia in nihilum, vnde orta sunt, rediguntur. Si hoc loco titubabis, turpissime iã victus explodêre. Quid tu igitur, *Thraso?* dum herbam porrigis, dum humum mordes, dum moreris, dum spirare non datur tibi, adhuc te victum non fateris, sed reniteris, recalcitrasque pertinaciter: Ridens risum, sed Sardonium, moreris. Sic enim Dominum cachinno rhonchisque n. 36. excipis; *Ita pergas, Marce Antoni, & vbi solus pugnas, sine hoste triumphas vt libet?* Itane sine pugna videtur tibi Marcus Antonius triumphare? Fundamentum totum, ex quo solo Papatum vestrum in Euangelio exurgere gloriabamini, *Marcus ille Antonius* vobis concussit, diruit, subuertit, locum vobis eripuit, septuplici data loci ex Patribus, totaque antiquitate interpretatione à Primatu Petri remotissima, & sine pugna, ais, illum triumphare?

Pag. 270.

Respondes tamen, sed certe iam moribundus, & in extremis positus; *Num si demus istud tibi*, (inquis,) *vt omnia, quæ nobis adduxisti, mysteria vere in facto Christi continentur, recte ex eo inferas non contineri id, quod nos docemus de Primatu?* Vrgeasque & eas rationes omnes posse in Christi facto contineri, quas Patres commemorant, & Dominus meus produxit, ac simul etiam illam, quam vos moderni de Primatu Petri ponitis: quam præcipuam vocas, & à Patribus ais sæpissime esse agitam. Infœlix sorex, rode iam laqueum, si potes, quo ipse te intricasti. Nempe hoc tanti momenti dogma, hæc fidei vestræ columna, Primatus Petri Monarchalis, & consequenter vester Papatus fide diuina, cui falsum sub-

subesse nequit, niti prætensus, tam instabili, tam incerto superstruitur fundamento? Fateris actionem illam Christi, in qua sola vester Papatus collocatur, habere multas explicationes, varios; sensus legitimos absq; vllo Primatu Petri; Et quia posterioribus temporibus Hieromonarchici cœperunt nouum sensum illi tribuere, hinc Papatum solidum esse putabis? Papatus si est solidus, si iure diuino institutus, si fide credendus, debet necessario ex Scripturis, idque non probabiliter, sed necessario, & euidenter deduci; quomodo verò tu necessario, & euidenter illum ex eo loco deducis, quem fateris habere etiam plures alios suos proprios sensus, qui Papatui nihil faueant? An nescis Iurisperitorum verissimum dictum, *Textum, qui plures habet intellectus, non esse allegabilem*? Cuius te rei monuit Dominus meus lib. 1. cap. 8. num. 13. Cur autem tot diuersas æqualique robore nixas explicationes ille vobis proposuit, nisi vt textum illum, quem fide infallibili ac diuina Papatui astringitis, vobis eriperet, ostenderetque non esse vobis pro stabiliendo Papatu allegabilem?

Auden tu verò asserere sensum Monarchicorũ esse omnium præcipuum, & sæpissime à Patribus agnitum? Præcipuusne sensus est, qui in Ecclesia fuit per multa a Christo sæcula inauditus? A Patribusne antiquis agnitus, cuius nullus prorsus vnquam, ne minimam quidem fecit mentionem? Saltem vnicum certè proferre debueras Patrem, qui in actione illa Christi Primatum Petri agnouerit, quem verè nullus penitus agnouit, imo ne Romani quidem prisci Pontifices: Nam

ante Fœlicem tertium nullus Romanorum Pontificum suum quendam, quem prætexuerunt, primatum ad ius diuinum, & consequenter ad loca illa Euangelij, *Tu es Petrus*: & *tibi dabo claues*: *& quodcunque ligaueris &c.* vnquam reduxit; vt ostendit meus Dominus lib. 4. cap. 8. num. 13. & cap. 10. n. 37.

Mones ad finem meum Dominum vt *desinat nouum, & inauditum appellare, quod in omnibus Concilijs generalibus toties demonstrasti expressum*; & producis locum ex Concilio Chalcedonensi, in quo lectum fuerit, *Romanam Ecclesiam semper Primatum habuisse.* Velles, si posses, miser, è muscipula iam captus euadere: sed foramen, aut rimulam, licet vndique quæras, non inuenis. Quod citas Canonis Niceni assumentum Chalcedonensis Concilij nomine ornatum, iam videras Domini mei lib. 4. cap. 2. n. 18. & seqq. probè ventilatum, ac excussum. Hic tamen non te pudet hoc fragmentum, quasi purum & intactum, obtrudere. Laterem certè lauo, imò Aethiopem, dum te à tua veteri, ac veteratoria dissimulandi arte reuocare satago. Quod si illa de Primatu Romano verba essent genuina, quid tum? num inde constabit semper fuisse creditũ, dictione illâ Christi, qua solum Petrum seorsim alloquitur, Papatũ Petri significari? Si vis igitur vt vestram illius loci interpretationem non amplius appellitet Dominus meus *nouam & inauditam*, libera tu eum, quæso, ab hoc errore, ac ostende, quis vnquam ex prioribus in illa actione Primatum Petri agnouerit. Hoc certè tu facies ad Calendas Græcas.

OCTA-

Octavi Capitis
Mariani quiſquiliæ.

SEptem primis huius capitis numeris non tam lepidè quàm trepide ſoricem agis; iraque tremebundus totus, pauiduſque à fele te obſeruante tibi timens, huc illuc diſcurris; & diuerticula quæritas, in quibus, ſi quid adrodendum ſit, dentes exerceas. Bernardi locus cenſuram ei à D. meo, modeſtè, vt par eſt, datam num. 5. ſui cap. 8. certe flagitabat: tu non in cenſuram, ſed in cenſorem num. 1. 2. 3. dentem acuis; cenſuræ enim quid opponeres non habebas. Damaſcenum, Theodoretum, Hieronymum, Chryſoſtomum in illis interpretatiunculis, non putauit meus Dominus ſibi ſequendos; homines cum eſſent, humanum aliquid forte paſsi ſunt, quod tamen meus Dominus, vel modeſte innuit, vel interpretatione leniuit: nihil arroganter exprobrauit, nihil propria autoritate notauit, ſed & cauſas leuiorum lapſuum molliter aſſignauit: tu ſi eos liberare cupis, non inſurgas iterum in Cenſorē, ſed ipſam cenſurā meliori cenſura, hoc eſt, argumētis, ſi potes, corrigas, & diſtinctiūculas illas, tibi ſcilicet ridiculas, alijs grauiſſimas, legitima cōfutatione deſtrue. Blaſphemias in Petrum D. Spalatenſis commemoras, & hinc inde colligis. Itane? blaſphemias? At nihil de lapſibus Petri ipſe protulit, quod non ex ſcriptura & Patribus confirmarit. Neque B. Petrus ſe impeccabilem, (id potius Papificum) vnquam cenſuit: non igitur blaſphemię,

miæ, sed gloriæ deputabit, si humanii ipsius lapsus pro opportunitate recensentur, vt in eius infirmitate diuina gratia clariùs eluceſcat.

Pag.177. Ad rem accedis n.8. & Petro in persona ipsius dictum esse à Christo, Pasce oues, contendis ac confirmare niteris n.9.10.11.12. quod certe Dominus meus & concessit, & confirmauit n. 2. Deinde n.14. in expositionem verbi *pascere*, ingrederis; & quia obiter incidenterque Dominus Spalatensis, etiam sub particula *fortasse*, innuit potius quàm asseruit actione pascendi, posse solam prædicationem intelligi, hic denuo hæresim ei appingis de Apostolico munere pure ministereali: quod capite 2. plene probauit, nec tu vlla ex parte illas probationes læsisti, vt in tuo secundo capite tibi ostendi. Nec erat cur hoc nunc quæreres, ad tuas contumelias inanes, diuerticulum: Si rem Dominus meus tractare voluisset, & tractatio hæc ei inseruijsset, facile potuisset eam, solidè confirmare, & nube testium te obuoluere: Tu si bonus esses disputator, propositionem illam etiam incidenter prolatam, vt falsam, & impossibilem confutasses: nec erat satis te ei obijcere, quod ex Patribus non fuerit à Domino meo confirmata, quasi verò non liceat probabilem cuique excogitare nunc primum interpretationem, quam litera toleret & libenter admittat, etiamsi autoritate antiquissima non possit corroborari, & nihilominus tamen in suo libro 1. hoc cap. 8.n.4. Vestrum Cælestinum Papam Dominus meus tibi protulit, & Bernardum; qui *Euangelizare* dixit *esse pascere*. Tu tamen in verbo pascendi regimen quoddam

Pag.283. potestatiuum somnias n.15.16. Sed de his explicatius

tius in libro suo 5. Dominus meus.

Legisti tamen ea Domini mei verba num. 5. *Contineat igitur in se verbum pascendi quamcunque & quantamcunque autoritatem & potestatem, non pugno; sed illud contendo, nullam verbo pascendi contineri, quæ non melius & amplius contineatur in illis Christi dictis, sicut misit me pater &c. & illis, Euntes docete &c. Igitur nihilo plus concessum est Petro per verbum, pasce, quàm concessum alijs per verbum, mitto, & per verbum, docete.* Sed iam in verbo *oues* cauillum quæris num. 17. vt duo, quæ vocas, glossemata mei Domini num. 5. mordeas. Alterum est, Omnes oues Petro assignari, ad quascunque accesserit: Alterum, posse intelligi Petro commendari oues duntaxat Domus Israel. Hęc D. meus obiter posuit; principalis controuersia est, an illæ omnes oues, quæ Petri pasturę sunt commendatę, sint æque etiam omnium & singulorum Apostolorum curæ æque commendatæ. Tu vt hanc effugias controuersiam, in qua totum præsens consistit negotium, breuicula huiusmodi parerga insectaris; ita tamen vt ludas potius quam lædas. Pag. 285.

Aptissima & necessaria est Domini mei distinctio inter potestatem vniuersalem in vniuersum orbem, habitualem, & actualem, quam confirmauit num. 5. & lib. 2. cap. 5. num. 26. & cap. 7. num. 1. & num. 3. & cap. 8. num. 14. & lib. 4. cap. 7. toto: vbi ostendit neque possibile esse, neque Christum instituisse, vt vnus homo regat actu totam Ecclesiam vniuersalem. Quæ quia tu omnia dissimulas, censura tua num. 18. prioris glossematis est inanissima. Vbi tu corporalem præ-

præsentiam non esse necessariam ad pasturam fidelium, ineptissimè censes, & asseris: *quia*, inquis, *Spiritualis est hæc pastura; & animo, ac solicitudine peragitur*. Cur ergo plures & non vnicum Apostolum habere voluit Christus? Cur Apostoli, tot Episcopos multiplicarunt? Cur ijdem Apostoli, ac præsertim ipse Petrus, & Paulus, tam longis itineribus terrarum orbem peragrarunt, si animo tantum & solicitudine, non item corporali præsentia pastura hæc populis exhibeatur? Euangelij certe prædicatio est præcipuum munus Apostolicum: quæ sine præsentia corporali populis remotis exilem reddet sonum. Episcopi igitur qui neque euangelizant, neque sacramenta administrant, ministri Christi sunt in habitu duntaxat, non in actu; & Domini temporales, non Pastores spirituales, nisi ad seruitium Ecclesiæ etiam in temporalibus legitime occupentur.

Petrum verò fuisse à Christo verbis illis *pasce oues meas*, factum propriè pastorem Israelitarum, vt probabile meus Dominus dixit, & probauit num. 5. & num. 10. Hic tu iam num. 19. omissis penitus grauissimis, quas Dominus meus attulit, coniecturis, opponis primum mortem Petri à Gentilibus, non à Iudæis habitam, & ei à Christo ibi prædictam, vbi ei oues pascendæ commendantur. Sed leue est, quod opponis, quia satis est, quod per illa verba, *Pasce oues meas*, præcipuè et directè commendaretur Petro circumcisio: licet Christus præuideret Petri labores, etiam inter gentes, et mortem à Gentilibus ei infligendam. Neque dicit Christus ab illis ouibus, quæ

ei

ei pascendæ commendabantur, fore occidendum. Neque illum oues ipsius proprie dictæ ac genuinæ occiderunt: sed lupus Nero: quandoquidem oues, quæ per Apostolos erant in ouile Christi adducendę, erant fideles futuri, non infideles in infidelitate mansuri: & tales oues certe Petrum non occiderunt. Deinde opponis num. 20. Sequi Petrum non fuisse illis verbis, *pasce*, institutum à Christo pastorem plenum ouilis Christi. Procul dubio id sequitur, nimirum Petrum præcipuè, & directè tunc factum Pastorem proprium Israelitarum, vt in circumcisione conuertenda potissimum laboraret. Non tamen interim prohibitus est, ne etiam Gentilium, vbi posset, & Iudæorum conuersio esset desperata, vrgeret conuersionem. Sed hanc adductionem Gentilium in ouile Christi, non soli Petro, imo ne præcipue quidem Petro, sed Apostolis reliquis omnibus, ac præcipuè Paulo commendauit; & quando Christus dixit inde futurum vnum ouile, & vnum pastorem, se & non Petrum, illum vnum Pastorem, intellexit, vt habes à Domino meo obseruatum num. 7. huius capitis octaui, & cap. 12. num. 17. 18. quæ silentij dissimulationisque nube tua obvoluis. Curam tamen pasturæ ministerialis huius vnius ouilis, non vni Petro, sed omnibus Apostolis, eorumque successoribus æque & in solidum commendauit, vt toties vidisti à Domino meo explicatum.

Expectabam vt post hæc diuerticula ad caput controuersiæ præsentis accederes, sed tu serpentino progressu, non rectum, sed tortuosum capis iter, & ad minutula quædam ore vipereo allam-

Pag.287. lambenda diuertis num. 21. & seqq. Retorserat contra vos Hieromonarchicos Dominus meus num.5. argumentum Bernardi, qui Petro omnes indefinitè oues totius mundi commendatas asserebat, quia indefinitè dictum est Petro. *Pasce oues meas:* At Dominus meus sumit alium locum, vbi omnibus Apostolis dicitur; *Docete omnes Gentes*; & colligit hic etiam indefinitè omnibus Apostolis omnes Gentes totius mundi pascendas committi; Et ponderauit, vocem illam extensiuam *omnes*, quæ certe non fuit à Christo adiecta quando oues Christus Petro commendabat; Non quod ipse Dominus Spalatensis vellet illius verbi subtiliore ponderatione imminuere numerum ouium Petro commissarum, quasi non omnes, sed pars aliqua sit ei commissa: fatsus est enim Dominus meus eodem num. 5. se non repugnare, si quis velit Petro committi oues etiam generaliter: sed ad maiorem quandam emphasim, vt tanto clarius patere ostenderet non minus omnes oues Apostolis committi quam Petro. Frustra ergo tu sciolus, & Lutherum obiectas num. 22. & probare niteris Petro omnes prorsus oues esse commissas, in quo se non repugnare dixerat Dominus Spalatensis: quanquam & illa tua obiectio à simili sit valde inepta: *Si quis*, inquis, *abiturus, alteri bona sua legaret, filios commendaret, intelligitur omnia bona, & omnes filios?* Ego vero dixerim, terminum indefinitum in materia non necessaria sepius æquipollere duntaxat particulari; vt si vno homine currente, quis dicat, homo currit: homo alogus, id est, nullus homo eris, si intelligas vniuersaliter, Omnis homo currit. Ita

si

si Rex suas visitans ciuitates, & earum Gubernatores, cuique Gubernatori dicat, commendo tibi subditos meos: insanus eris si velis singulis hisce prouinciarum Præsidibus commendari à Rege omnes totius Regni subditos: sic profectò non incommodè intelligi possent verba Christi, *Pasce oues*, id est, has oues inter quas ego nunc versor in diebus carnis meæ.

Alchymista dudum factus est meus Leonardus, omnia ex omnibus excoquit, quidlibet probat è quolibet. Probandum, & frustra susceperat, Petro omnes totius mundi oues esse a Christo illis verbis. *Pasce oues*, commissas: ex Theophilacto, & Chrysostomo id n. 22. & 23. confirmarat. Bene habet. Petrum innumeris ouium gregibus ditauit quas scilicet non modo pascat, sed etiam (Baronio eam autoritatem præstante) mactet, & manducet. Atqui ad hoc Petri conuiuium quo iure, qua via properat Cælestinus? Eum scilicet secum adduxerant Mileuitani Patres. Quis autem hos inuitauit? Leonardus noster, idque Petri nomine. Vah audacem rogatorem! Non aderunt tamen, scio: nullus enim ijs locus. Nam quorsum hic n. 24. obtruditur epistola Concilij Mileuitani ad Cælestinum Papam, in qua neque dictum Christi *Pasce oues* neque Petrus commemoratur? Si autem cerebelli tui rotatilis vertigo te ad pasturam vniuersalem tui Romani Episcopi trahebat, ad ea, quæ Dominus Spalatensis habet suo lib. 4. cap. 7. tibi erat respondendum. Tanti-ne momenti, pretijque erat id quod citas ex eo Concilio, vt inde Papatum putes stabiliri, quod Pastoralis sollicitudinis diligentiæque fiat mentio?

Quis verò Episcopus est, etiam ex infimis (si infimus quis Episcopus esse possit,) qui, in causa præsertim nouæ exortæ hæresis non debeat etiam extra suam Diœcesin, curam exercere pastoralem? Hoc edoctus es lib. 2. cap. 6. & cap. 7. n. 5. & seqq.. & Romanum Patriarcham speciali quodam modo curam habere pastoralem vniuersalem, citra tamen exorbitantem Papatum, habetur lib. 4. cap. 9.

Pag. 289. Iam tandem quando Deo placet ad nodum difficultatis accedis n. 25. quem tamen, vt soles, non soluis, sed secas, & ad somnium nuper excogitatum confugis: *Pastores* (inquis) *vniuersales fuerunt omnes Apostoli: sed Petrus habuit officium pastoris vt permansurum in successoribus: at Apostoli id habuerunt vt priuilegium Apostolatus, quod in eorum successoribus Ecclesia nunquam agnouit.* Oro te, obsecro, obtestor, mi Leonarde, me tandem doceas vbi, aut vnde constet, officium pastoris vniuersalis alio modo fuisse in Petro, alio in reliquis Apostolis. Certe, hoc si præstiteris---*eris mihi magnus Apollo.* Neque enim ex Euangelio, neque ex Christi institutione hoc demonstrari potest: cum, vt a meo Domino fusè probatum est, idem contineatur in verbo *Pasce*, quod in verbo *Docete*, & in verbis, *Ego mitto vos.* De varietate modi nihil est in Euangelio: Si quid sit, cur non attulisti? Sed tibi placet quod in quæstione est pro argumẽto sumere. Tui magistri diuersitatem hanc modi habendi pasturam, ex Euangelio colligere nitebantur, quia alijs præsentibus, soli Petro Dominus ait, *Pasce oues meas.* Sed tune te nodis inextricabilibus implicares, hæc vana vestrorum præsidia relinquere, ac contemnere, operæ precium duxisti. Ac merito quidem. Vide-

ras enim inepta esse tuorum Magistrorum effugia, & à Domino Spalatensi prius intercluſa n. 8. & seqq. quæ omnia tu prudenter dissimulas, & omittis. En iam quam male vobis succedit hæc vestra à *Successione* argutatio!

Vt tamen aliquid agere videaris, instar ficedulæ per fastigia arborum saltillas; & omisso stabili trunco, intactis radicibus, folia baccas floſculoſque gestis morsicare. Locum de *confirmandis fratribus* vrges n. 26. vt doceas Petro non modo agnos, & ouiculas, sed etiam oues, fuisse subiectas: id est, (ais) *Fideles & Episcopos, & ipsos Apostolos*, quos confirmare iubetur conuersus. Sed locum ad rem tuam nihil facere iam videras (*--nec vis vidisse videri*) apud Dominum meum hoc cap. 8. n. 6. Iam iterum, lege, quæso, quæ scripsit lib. 1. cap. 6. n. 39. & n. 41. & cap. 9. n. 8. & 19. & ex aliena schola sape, qui non potes ex tua. Tuum verò illud puerile commentum moneo, ne tibi nimium placeat, ideo nimirum, Petro Apostolos etiam commendari, quia in remedium cribrationis qua Sathanam ipsos Apostolos cribraturum prædicebat Christus, rogabat ipse Christus pro Petro. O ridiculum caput, Ecquando Petrus Apostolos à Sathana cribratos post suam conuersionem confirmauit? Et quę fuit ista cribratio, nisi in morte Christi, quando omnes dispersi sunt, & omnes pariter, etiam cum Petro, resurrectionem Christi à mulieribus nunciatam deliramentum esse putabant. Omnes quidem erant cribrandi, quia omnes erant in fide diuinitatis Christi titubaturi: sed quia solus Petrus erat Christum expresse ter publice statim negaturus, & illum tanquam purum hominem abiectu-

rus, ideo, pro illo solo tunc rogat Christus, & non pro alijs in tales negationes non prolapsuris. Quomodo autem ille conuersus confirmaret fratres, & quos, habes locis à me citatis: certè erga Apostolos nunquam hanc exercuit confirmationem. Neque Theophylactus tibi fauet, vt vis n. 26. non enim dicit Petrum confirmasse Apostolos, quem pro se Dominus meus produxit lib. 1. cap. 6. n. 39. & cap. 9. n. 8. Leoni verò a te n. 27. producto oppono & rationes, & autoritates apud meum Dominum dicto n. 39. & 41. & cap. 9. n. 8. & n. 19. vt locus ille tibi si non aduersus, saltem sit inutilis, & dictum Leonis explicatur à Domino lib. 1. cap. 9. n. 8. Chrysostomum & Hieronymum dicis n. 28. tibi fauere: Chrysostomum merito in ea parte Dominus meus ostendit non esse sequendum, lib. 1. cap. 8. n. 6. & cap. 9. n. 19. Vbi tamen tibi Hieronymus faueat, & tibi fauentem Dominus meus legerit, non inuenio; adeoque, cum locum Hieronymi nullum cites, tuum somnium esse arbitror.

Pag. 290.

Merito Dominus meus vos Hieromonarchicos risit cap. 8. n. 6. dum Petrum asseritis curam gessisse etiam Apostolorum. Rogabat vero, vt diceretis eis quanam in re hanc curam gesserit: an in audiendis eorum confessionibus, an ad eos docendos, instruēdos, corrigēdos puniēdos? Tibi delicatulo stomachum isthæc commouent. Vt autem tollas, respondes Domini mei quæsito, *Petrum caput, & institutorem Apostolorum fuisse, vt dubiorum emergentium esset decisor; Vt Gentilium ad Ecclesiam admissionem primus inchoaret; vt de Chori Apostolici supplemento cogitaret; Vt missioni Apostolicæ, & prouinciarum distributioni præesset.* At verò his tuis ineptijs

ineptijs longe maiorem nobis bilem pariter ac risum cies. Hincine tu probas Petrum gessisse curam Apostolorum? O Marium morionem! Quæstio erat num B. Petrus fuerit Curio, & instructor Apostolorum, non erat quæstio num ille esset caput, & instructor fidelium. Tu priorem quam soluendã assumpseras statim deseris, & posteriorẽ, quæ ab hoc loco est penitus aliena soluere conaris: atque illam quoque stolide & imperitè vt etiam ex tui cap. 1. n. 22. constat, vbi horum pleraque prius posueras; sed a me ibidem probe castigata. Iam cum iterum ius tuum hesternum recoquas, nobisque nauseantibus apponas, iterum valcula cuerto tua; iterum aio, Petrus non fuit decisor in illo Concilio Act. 15. vt habes lib. 1. cap. 9. n. 25. Petrus aperuit primus ostium ad Euangelizandum Gentilibus Act. 10. sed nullam inde habet capitis, nullam Primatus rationem, vt habes lib. 1. cap. 9. n. 23. In Electione similiter Matthiæ nullum exercet verum Primatum, Act. 1. vt habes ibidem n. 19. Vltimum vero illud, de Petro solo mittente Apostolos, ac distribuente prouincias, miror vnde hauseris. Ego Ouidianæ Metamorphoseôs omnes pagellas excutio, vt ibi reperiam. Sed inter lepidas illas fabulas hæc nescio quo infortunio desideratur. Eius loco ibi hoc carmen occurrens, te alloquitur,

Risit, & ô vatum stolidissime, falleris, inquit.

Solutionem ad finem tui octaui capitis n. 28. 29. moliris, quorundam mei Domini argumentorum n. 3. ab eo propositorum, quæ tu tria numeras, sed sunt plura, quæ tu subducis, abscondisque Pag. 291.

——*Furtum ingeniosus ad omne.* Ad dictum Ba-

silij respondes *eandem potestatem pascendi habuisse Apostolos, & Episcopos quam Petrus, sed non æque plene.* At Basilius explicat esse eandem & æque plenam, dum ex effectu id probat. *quia,* (inquit,) *omnes similiter atque ille ligant, & soluunt.* Et sane si non esset æque plena, non esset prorsus eadem: Sicut potestas Magistratus Regij non est eadem quæ Regis, quia non est æque plena. Mox concedis, quod negaras, nempe in Apostolis fuisse parem cum illa, quæ erat in Petro, potestatis plenitudinem: sed differentiam illam perpetuo apud vos decantatam addis successionis, & non successionis: quæ iam toties confossa, ac defossa est, & in puluerem redacta. Neque hoc loco est ad rem, quia dictum Basilij duntaxat ponderabas, vt ipsum solueres, & iterum non sine stomacho ad Petræ & fundamenti Ecclesiæ rationem iam concussam reuolueris: & ineptijs pristinis alias accumulas: promissam nimirum Ecclesiæ stabilitatem in Petro tantum non in alijs item Apostolis: quia Romana Ecclesia hæresi non patuit, patuerunt aliæ. Sed hoc quoque lib. Domini mei 7. videbis examinatum, ac discussum. Interim vero insciitiam prodis tuam, qui putes Ecclesiam illam, quam Christus promisit ædificandam & stabiliendam, esse Ecclesiam particularem, particulari alicui loco alligatam. Ecclesia, quam Petrus, & Apostoli fundarunt, & Deus stabiliuit, est Ecclesia vniuersalis; quæ & dilatare & restringi potest, & solet, & ideo certis locis non coercetur, migrare solet de regione in regionem; *Vineam de Aegypto transtulisti. Ps.* 79. ac iterum redire. Et quis dicat Ecclesias illas, quas Paulus, quas Ioannes, quas Thomas

&c.

&c. fundauerunt, non ſpectare ad eam Eccleſiam, cui Chriſtus ſtabilitatem promiſit? Et ſi aliquæ illarum interdum hæreſum ægritudine ad tempus laborarint, iterum ad ſanitatem redierunt plurimæ. At neque omnes Eccleſiæ à Petro fundatæ ab hæreſi & defectione immunes fuerunt, teſtis ſit Antiochena (vt taceam nunc de Romana) Teſtes Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, aliarumq; regionum Eccleſiæ. Vides ergo quàm moleſtis & inextricabilibus te tricis ipſe inuoluas.

Auguſtini loca ſaltem ſex tibi protulit Dominus Spalatenſis, quibus Auguſtinus Apoſtolos omnes æque paſtores agnoſcit, ac Petrum; tu ad vnicum reſpondes, & ſatis leuiter n. 30. Locus Auguſtini talis eſt in Pſal. 108. *Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni cælorum, & ſi qua huiuſmodi:* Tu, Leonarde, huic dicto ſenſum hunc atſuis; *Chriſtus, ſi id, quod Petro dedit, ſoli ipſius perſonæ dediſſet, nihil hoc eſſet illuſtre aut magnum (nempe, quia cum Petrus eſſet mortalis, Eccleſia id cito perdidiſſet) at nunc, quia Petrus, quod habuit, etiam pro Eccleſia habuit, vere illuſtre eſt, quia ad ſucceſſores tranſiuit, & permanebit cum Eccleſia.* Sed locutio Auguſtini eſt categorica, non hypothetica: & dicit, videri multa Petro dici tanquam ad ipſum proprie pertinentia: & ex talibus nihil eſſe illuſtre, niſi id quod, non ad eum propriè, ſed ad Eccleſiam ipſam, cuius Petrus in ſe geſtabat figuram, referretur. Ita-

que ſecundum Auguſtinum illuſtre quippiam non eſt, quod videatur ad Petrum proprie dici & fieri ipſi proprium. Viſne poteſtatem clauium fuiſſe Petro propriam, & proprie ad Petrum ſpectaſſe, etiam cum ſucceſsione? At hoc, inquit Auguſtinus, nihil illuſtre eſt, ſi ſit Petri proprium. Sentit enim nihil eſſe inſigne à Domino tributum Petro, quod eſſet Petri proprium. Sed quæcunque eſſent inſignia Petro promiſſa, & data, ea non fuiſſe propria Petri, ſed Eccleſię, ita vt Petrus, non pro ſe, neque pro ſingularibus ſucceſſoribus ipſius, ſi eos haberet: ſed pro Eccleſia tota immediate illa acciperet. Atque hoc non finaliter, vt tu cum Hieromonarchicis accipis, ſed formaliter: vt explicatum habes lib. 1. cap. 7. n. 23. & ſeqq. quam Domini mei explicationem tu vulpinis oculis legeras, diſsimulaſti tamen. Vult enim, & merito, Auguſtinus omnia inſignia dona data à Chriſto Apoſtolis, non fuiſſe illis data, vt eſſent ipſorum propria, & ad ſingulos ſpectarent, ſed eſſent communia ipſis, & Eccleſiæ. Quod ſi quid ad ſingulos ſpectauit, id fuiſſe perſonale, & cum perſonis extinctum, in ſe nec inſigne, nec illuſtre. Vis igitur per verba Chriſti, *Paſce oues meas* dari Petro aliquid, quod ipſius ſit proprium, & non commune cum reliquis Apoſtolis, & tota Eccleſia? id certè perſonale erit, non illuſtre, nec inſigne, & cum Petro, Petro moriente, interijt. At ſi vis id eſſe inſigne, & poſt Petri mortem permanſurum, tunc id proprium Petri non fuit, ſed commune cum Apoſtolis, & cum reliqua Eccleſia. Si ergo tunc quando Petrus aliquid à Domino accepit, Eccleſia tota in ſuis Prelatis omnibus id ſimul, & immediate

mediate accepit, hoc illustre sanè erit, & insigne: si verò non accepit simul & immediatè Ecclesia, id nec insigne erit nec illustre secundum Augustinum, sed personale in Petro. Lege, vt monui, ea quæ habentur cap. 7. n. 23. & lib. 4. cap. 6. n. 9. & te ab Augustini sensu videbis toto cælo aberrare. Et quod affers ex Psalmo Augustini contra Donatistas nihil tibi seruit: nam argumentum vnitatis Ecclesiæ fuerunt olim successiones Episcoporum ab Apostolis in sedibus, præsertim insignioribus, quæ Apostolicæ sunt vocatæ; & quia earum maximè insignis tunc erat Romana, ideò Augustinus eam profert, vt præcipuam, in exemplum. Sed & ipse, & Irenæus, & Tertullianus æque argumentantur ex alijs quoque insignioribus sedibus Apostolicis Orientalibus, vt tibi explicabitur lib. 7. Interim percurre, quæ habes lib. 2. cap. 1. n. 13. 14. Ad tertium demum nescio quod argumentum in fine tui octaui cap. recurrere videris ad toties iam confutatum explosumq; delirium de successione, quæ scilicet detur Petro, non alijs. Vis, vt puto, vnico verbulo innuere solutionem argumenti præcipui, & à Domino meo suo cap. 8. affatim tractati, quo eripit vobis locum Ioannis, in quo præcipuè Papatum fundatis, *Pasce oues meas.* Argumentum verò erat; æque ac Petrum omnes Apostolos fuisse à Christo institutos Pastores vniuersalis Ecclesiæ. Tu respondes *æque in potestate, non æque in modo: quia in Petro fuit pastura officium perpetuum, in Ecclesia per successiones mansurum: Non sic in Apostolis.* Sed vnde hanc differentiam habeas aut probes, nihil affers, nihil dicis. Tui vero Magistri eam colligunt ex eo quod Christus de pastura

cum

Pag. 153. cum solo Petro, præsentibus alijs, loquatur: atque ita non ex verbis Christi, sed ex actione & mysterio pastorem ordinarium Petrum fieri colligunt, Apostolos vero extraordinarios. Sed eorum vanitates abiectæ ac conculcatæ sunt à meo Domino hoc ipso cap. 8. n. 7. & seqq. vsque ad finem capitis, & quinque assignatæ ex Patribus interpretationes, Cur Petro soli seorsim post resurrectionem Christus dicat, *Pasce oues meas*: quæ Primatui Petri non modo nil fauent, sed etiam plurimum omnes derogant. Tu vero homo callidus omnia hæc dissimulasti, in quibus totus octaui capitis neruus consistit: & tamen ad librum Domini Spalatensis respondisse vis videri à simplicioribus, & dici, quæ est tua turpissima impostura.

CAPITVM MARII RELIQVORVM (*vel potius capitulorum*) *abscissio.*

FAtiscit iam, languetq; sorex tam diu, tam frustra rodens; dentes eius imbelles, fragilésque imperuiam quatuor postremorum libri primi capitum ferre nequeunt soliditatem, nedum perfodere: ea igitur quasi integra dimittit, nisi quod, lassatis iam fractisque dentibus, molliora quædam ac minutula labris vellicare, linguaque adlambens turpiculâ spumâ inficere conetur.

Ad nonum. Male id habet Mariolum nostrum, quod Domini mei effigies, suo de Repub. libro præfixa, extremo in margine quibusdam, de more, versiculis cohonestetur. Quos tamen ipse Marius (quam munificè!) vt eisdem æternitatem donet, chartis nunquam morituris inserit, integrosque transcribit.

Scrip-

Scriptura Patres, Concilia nolunt tegi.
Et ipsa gestit euolare veritas, &c.

Hos pij sanctique instituti interpretes, quasi non ab alio, sed ab ipso Marco Antonio prodeuntes, suggillat, adeoque in sui laudatorem inuehitur. Stipes! qui, quid sit prosopopœia, non didicit, cui idem sonat, de Autore, ac ab Autore carmen scribi. Cur non itidem colligis, eum sua manu effigiem illam suam laminæ cupreæ insculpsisse? Sed versus huiusmodi laudatorij *phaleræ sunt Marci Antonij*, ac *multum præter antiquioris Ecclesiæ mores.* Itane verò? Adeone ab Ecclesię consuetudine, à modestia Christiana alienum, illustrium autorum operibus, depictas ipsorum imagines, versusque, quasi flosculos, ac corollas, in vestibulo appendi? Respice verò tuum hoc tuguriolum. Quis illius portę insculpsit non modo titulos *Admodum reuerendi*, sed & encomium *Doctissimi Leonardi Marij*? Annon hæ *phaleræ*? vtinam non etiam fallaces. Prospice etiamnum, ac intuere Magistros tuos, Cardinalem Baronium, & Censorem Binium. Illi *in Annalibus* ad ianuam adstat sua Effigies, non sine versibus Encomij sticis.

Historia & pietate micat Baronius: alter
Lumen ab alterius lumine sumit honos.

Hic verò in nuperrima sua Conciliorum cum Annotationibus editione Colon. 1618. sustinet non modo ab Henrico (obdurate aures, vel obturate) *Franken-Sierstorphio* describi titulis *Autoris eximij, celebrisque viri*, sed etiam ab *amico suo veteri Ioanne Dulmeno* versiculis ornari. Qualibus

libus vero? *Doctis, Iuppiter, & laboriosis!* In quibus *Binium*, quasi Iouem ἀμβεκμον, inuocat,

——*Bini tu plue diuitias,*
——*Te demirabitur orbis.*
Optabunt operas & sibi quisque tuas.

O quam latas, quam bullatas phaleras! si quis poëtaster huic Domini mei imagini Encomium huiusmodi cothurnatum adscripsisset, næ talis *Dulmenius* audiret. *Nobis non licet esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores.* Sed ad te reuertor, mi Mariole, video quid te premit, vbi te vrit calceus; Domino meo (cui te scilicet opponis æmulum) inuides, quod illius liber veneranda effigie versibusque decoratus prodeat, non item tuus. Cur, ornatior incederet Marcus Spalatensis, quàm Marius Colonienſis? Eho Mari. Quid indignaris? Quid mutis, *Obstipo capite, & defixus lumina terræ?* Miseret me tui. Erige oculos, arrige aures ----- *Si quid ego adiuro, curamue leuasso, Ecquid erit præmi?* Age, mihi in animo est, vt nominis tui celebritas libello huic meo splendorem addat, preciumque augeat, tibi de effigie simul, ac Epigrammate prouidere, quibus altera huius libri tui (sæpius proculdubio recudendi) editio in ipsa fronte coronetur. Ecce te.

Leues



Leues, inanes chartulæ volunt legi;
Au eoque scribax euolare Marius.
Sum Papilatra strenuus, dicax pugil.
Quæ iecit hostis, tela dissimulo sciens;
Campum relinquo, quæro diuerticula.
Silere causſa, Papa me loqui, iubet.

Phaleras video pulchras satis, inquis Leonarde, sed vbi caballus? Tu, Marj, ipse domi cõquires. Ne vero quærens longe aberres, ego tibi vesperi, cum dormiturus decumberem, meditabar commentariolum, huiusce areæ vacuæ hieroglyphicæ interpretem. Quæ vero semisomnis effudi, carmina, diuerso ambitu variata, sed omnia idem centrum spectantia, hic in gratiam tuam subiungo.

Miraris tabulam, spectator,
imagine cassam?
Viua est imago Marij.

Aliter.

In tabula nihil est, ipse & homo est nihili.

Ali-

Aliter, alluſione facta ad Auſonij Rufum.

Iſthæc quam ſimilis Leonardo chartula inanis!
Verum hoc deſsimile eſt: candidus ille parum.

Itemque.

Marius in tabula. Quis Marius? aut vbi? Qualis
In libro, & cathedra, talis & in tabula.

Quas mihi iam gratias, quas laudes rependis, quod ego ſumptu meo tibi comparauerim ephippia, te ornauerim ad pompam? Neque enim ad pugnam vnquam ornandus es: Interim dum maiorem mihi pares gratiam, accipio, bonique conſulo candorem tuum erga D. meum; nempe quod num. tuo 5. te victum fateaPag. 300. ris, ac ſponte concedas, illa, quę recenſes, triginta quinque Petri priuilegia Primatum Petri non demonſtrare.

IN capite decimo num. 1. & 2. refers quædam ex Domini mei cap. 10. quaſi ea reprehenſurus, ſed reprehenſionem tamen particularem nullam addidiſti, & num. 3. Domino Spalatenſi dicenti ſe nullam aſſertionem Primatus Petri in Eccleſia vnquam obſeruaſſe, niſi poſtquam Romani Pontifices cœperunt ſuum primatum prætendere; obijcis Patres in genere Petrum, *Primum, Principem, Caput, Præſidem orbis terræ vocantes.* Sed bene ſciebas, vt tu ipſe ponis num. 1. tui decimi cap. Ea Patrum encomia à Domino ad Primatum Petri perſonalem reduci, & formam, quam ipſe Dominus meus cupit, qua exprimatur Petri primatus, eſt, vt aliquis verbis conceptis aſſerat ipſum ſolum habuiſſe à Chriſto Vica-

Vicariatum in terris; ipsum solum fuisse Pastorem ordinarium, & cum successione, non sic alios Apostolos. Ipsum solum accepisse à Christo fundationem Ecclesiæ,& potestatem clauium, & fidelium pasturam &c. & quod hic repetis (sed non probas) Athanasium, Hieronymum, Chrysostomum, Concilium Chalcedonense, Ephesinum, Constantinopolitanum Papatum agnouisse, hoc tibi iam toties negatum est, & Patrum dicta explicata, vt tibi omnino contraria, aut saltem nihil propitia.

IN vndecimo capite etiam ipse Capitum duodenarius numerus naso tuo non arridet. Quam delicatus es? Vobis certè, qui, supra quàm Pytagorici, in numerorum apicibus hæretis, ac ex quauis proportione semper mysteria elicitis, congruerit aptius, in singulis Domini mei libris duodena capita ad sacrum aliquem referre sensum, puta ad duodecim Apostolorum commemorationem, præsertim in primo hoc, quem tu tractasti, libro, vbi de ipsis agitur Apostolis. Ego vero tibi, Leonarde, aliud mysterium in aurem insusurrabo. Ideo libri singuli sunt δωδεκαλίφαλα, quia libro integro diligenter tractando annus tibi vix sufficit, ideoque singulis mensibus vnum tibi percurrendum caput destinatur. Atq; vtinam quidē vt deliberatius cordatiusque responderis, pauciora iam capita digessisses, potius quàm duodecim prima tam oscitanter, ac auidè, vt cæci muscas solent, deglutijsses. Quod autem ad hoc vndecimum caput attinet, poscebat plena tractatio de Primatu Petri, vt, sicut negatiuè ostensum est

neque

neque Scripturam, neque Patres Primatum Petri ponere, ita ostenderetur etiam positiuè, & Scripturam, & Patres Primatum inter Apostolos, ac specialiter in Petro reprobare? Certe hac de re neque actum est hoc primo libro in præcedentibus, neque hactenus fuit locus opportunus agendi.

Ad quædam mox argumenta ex sacris literis à Domino meo petita soluenda accedis, sed de more valde infæliciter. Prima loca scripturæ contra primatum, quæ Dominus meus vrget, sunt plura simul conglobata, in quibus Christus de primatu inter se contendentes & quærentes ab omni remouet primatus cogitatione: vt *si quis vult primus esse* &c. Marc. 9. *qui minor est inter vos omnes* &c. Luc. 9. *Nisi efficiamini sicut parvuli &c.* Matt. 18. *Vos autem non sic &c.* Luc. 22. Tu solum vltimum locum resumis, & primò ex eo formas argumentum, non quale à Domino Spalatensi enucleatè, explicateque est formatum, sed ex ieiuno cerebro tuo siccum & aridum effinxisti, & ab eo te vnico verbo expedire posse censuisti, dicens; *Christum Apostolos ibi ad humilitatem hortari, & ad ministerium: quod si hinc Petro primatus aufertur, auferri etiam Christo, qui similiter ex humilitate ministerio vacauit.* Circumstantias tamen loci, temporis, personarum, occasiones talis tractationis, & similia ponderabat D. Spalatensis, ex quibus manifestè deducebat primatum verum Petri, si quem ei Christus dabat in Ecclesia, fuisse tunc à Christo agnoscendum, claréque explicandum. Neque Christus ibi ad humilitatem duntaxat hortatur, & ad ministerium, sed docet expresse se nullum vili ex ipsis in re-

in reliquos coapostolos huiusmodi primatum relinquere. At de suo proprio Primatu, non obstante sua humilitate, & ministerio, monuit apertè sæpius Apostolos se esse filium Dei, se esse eorum Dominum, & Magistrum. Cur tu ad hæc, & alia multa huiusmodi prorsus nihil?

Secundo retorques quæsitum quoddam, & ais, *Marcus Antonius fatetur Petrum personali priuilegio fuisse primum inter Apostolos: cur ergo cæteri contendebant?* Sed tu nimium obtusus es: non contendebant, quis eorum esset senior, quis prius vocatus, quis collegij Apostolici Præses, quis familiarior Christo, hæc erant per se nota, & libenter ab omnibus Petro relicta: sed quærebant contentiosè quis eorum esset officio, potestate, magistratu, primus (temporaliter quidem, & in Christi regno quod somniabant, temporali) & Christus non solum à tali primatu in temporalibus, sed etiam ab omni alio primatu autoritatiuo, & imperatiuo, etiam in Ecclesia, eos, non ex humilitate sola, sed ex ipsa rei veritate amouet, vt probat exactè meus Dominus: tu vero illas omnes solidissimas rationes tacitus deuoras.

Tertio ad argumentum ex Act. 6. desumptum, vbi non Petrus solus, sed omnes duodecim Apostoli instituunt Diaconos, respeondes hoc argumentum *indicare magnam Marci Antonij superbiam, quia omnia solus ageret, si caput esset, cum tamen Reges omnes aliorum vtantur consilio.* Ego verò optime scio Dominum meum Marcum Antonium tibi sponte consensurum magnæ superbiæ indicium esse, si quis solus velit graue regimen sustinere, quod sine prudentum consilio sustinere non

non possit. Ac propterea tuum Papam, qui solus magnus Atlas, licet forte nonnunquam Pygmæo minor sit, vult cœlum, terramque ceruicibus sustinere, esse ex Marij argumento, absolutum superbiæ exemplar ac ideam. Sed aliorum, inquies, consilio vtitur illud vnicum vniuersale Caput. Quorum vero? vtinam non parasitorum, non illiteratorum, non Curialium, qui sola mundana sapiunt, vtinam non carnis & sanguinis, sed verè piorum, sapientum, & Ecclesiastica Theologicaque scientia penitus imbutorum. Interim tamen, quorumcunque consilio vtatur, ipse sua autoritate suoque nomine grauiora omnia negotia, ac ad ipsius propriam autoritatem spectantia administrat. Sic certe Petrus, si fuisset caput Ecclesiæ, & in ipso solo Vicariatus Christi resedisset, ad consilium quidem suos coapostolos adhibuisset, sed tamen Diaconos illos ipse sua solius autoritate constituisset. At Scriptura vt prius tibi exprobraui, Mari, non dicit Petrum Diaconos statuisse, cum consilio Apostolorum, sed ipsos duodecim Apostolos, quorum vnus erat Petrus, totum illud negotium communiter peregisse.

Quarto ad locum 8. de legatione à Petro obita in Samariam, vt soles, per conuicia respondes, illud argumentum *superbi animi indicium esse in Marco Antonio*, vt illum iam tertio vel quarto Vscoccorum mentione mordeas, mendacio scilicet ipsis Erebi penetralibus orto, ac in infernum remittendo. Loco tamen proposito Papicolarum solutionem adhibes, quam Dominus meus, & commemorauit num. 11. & confu-

Pag. 306.

tauit

tauit, eam verò confutationem pro more callidè subtices: Missio enim illa, vt ibidem ostensum est, etiamsi non argueret inferioritatem in misso, innuit tamen quandam paritatem, & carentiam Superioritatis, vt ibi Dominus meus optime declarat.

Quinto ex pluribus, & grauissimis circunstantijs Concilij Hierosolymitani Act. 15. ex quibus Petri primatum abolet Dominus meus num. 12. vnicam excerpis, & ad eam solam respondes. Quid si tibi illa donetur, & pro non dicta habeatur, nonne reliquæ Primatui Petri plurimum obsunt? cum verò tu ad eas nihil respondeas, te pro confitente reo habebimus. Sed & illa circumstantia adhuc manet illæsa, nec tua responsio quicquam valet, nisi vt tuum prodat falsum intolerabilem, & rerum Ecclesiasticarum ignorantiam, quas quidem nec à limine videris salutasse. Lege, miser, Acta Concilij vestri Florentini, & Concilij Lateranensis sub Iulio, & sub Leone X. & vide cuius nomine decreta omnia publicentur: Papæ enim suo proprio nomine in Concilijs etiam Bullas edunt, & ea tantum verba addunt, *Sacro approbante Concilio.* Et in corpore iuris Pontificij, in altero tomo, sæpissime Papa autor Decreti ponitur, præsertim Innocentius tertius, cum ea sola additione, *In Concilio!* Non ergo Comici sales sunt, quæ Dominus meus de annulo lusit piscatoris, sed iusta, grauisque reprehensio, ac admonitio, ne Papæ ad suum annulum piscatoris reuocent ea, quæ à legitimo Episcoporum conuentu decerni, & declarari, ac etiam iudicari deberent, sicut factum est in Con-

cilio Hierosolymitano ab Apostolis simul, & non à Petro solo. Quæris vero *quid Marcus faceret, si posset is annulum habere Piscatoris?* ac respondes, *Hamum facere et.*

O mi lepidule Mariole, quam lubens Comicos tuos sales gusto? laudo te, amo te, sagax es, verax es: Romanæ cathedræ potentem halitum nosti, quæ sessores suos, non secus ac Circe hospites suos, mira metamorphosi transpecificat, ac digitos in hamatos vngues conuertit. Tenebare itaque ex logicæ Inductionis regula ita ratiocinari, Hic ignis vrit, & ille ignis vrit, aliusque similiter, Ergo omnis ignis vrit. Pari modo, Hic Papa ex Petri annulo hamum fecit, & ille fecit, Omnis igitur hunc annulum attrectans, etiamsi prius fuerit integerrimus, statim quasi Circæo poculo mutatus, trahax erit, vt harpago, auri vorax, vt monedula. Actum igitur ageret, quicunque ex illo annulo hamum iam facere conaretur. Qualis autem ille hamus? Num aureus? Scitum quidem aureo hamo piscari, sed antiquum, & peruulgatum nimis, nimisque sumptuosum. Hic piscator hamo vtitur, non aureo, sed aurifero: plumbum signatum proijcit: quam obtusum hamum! escam quàm duram! Aurum signatum recipit: pisces quam pingues! prædam quam pronam, & dignam capi!

Vltimo ad reprehensionem, qua Paulus erga Petrum vsus est, respondes, *reprehensionem non esse semper autoritatis aut iurisdictionis, sed amoris quoque & zeli.* Hæc erat responsio Bellarmini, & eam Dominus meus impugnauit hoc capite 11. num. 13. & num. 21. impugnationem, tu conuel-

uellere nescius, totam dissimulas. Sed ex eadem reprehensione nouum aliud, & longe vehementius argumentum meus Dominus colligit, quo Petri Primatus ille magnus totus destrueretur: & talis argumenti occasione longa disputatione à num. 14. & deinceps Baroniana quædam somnia depellit, & concertationem inter Hieronymum & Augustinum discutit, verumque Petri lapsum manifestat, & consequenter à se amouet notam blasphemiæ, quam ei tu, hoc etiam nomine supra cap. 8. num. 6. impegisti. Hic iam quod reprehenderes nihil habuisti, sed omnia tuo silentio confirmasti, & admisisti.

Adhuc peram tuam excute, Leonarde. Quid illud est, quod in fundo latet? cur occultas? lapis est, quem in caput tuum funditauit Dominus meus; cur non retorques? Nempe Petri Primatus à meo Domino est num. 24. & seqq. expugnatus ex Pauli cum Petro comparatione. Hunc ictum non clypeo excipis, sed clausis oculis, vultus tegere te putas. Omisisti demum Patres, quos plures Dominus meus à num. 27. deinceps, Petri Primatum vel directè vel indirectè negantes produxit. In his omnibus mutus, eo minus certe tutus. Pudeat te cum tanta tua infamia primum in arenam prodijsse fugitiuum pugilem.

AD duodecimum: - *Tua scilicet vltima primis Respondent*, Mari. Tu, cui sub læua mamilla nihil salit, tu rudis admodum, & obtusus nō percipere te fateris num. 1. *asseratne Marcus Antonius Aristocratiam, an Democratiam.* Quid tum? percipiunt tamen docti omnes, & etiam semi-

docti: nimirum Ecclesiam verè, & propriè esse Monarchiam sub Christo. Inter ministros verò neque absolutam esse Aristocratiam, neque veram Democratiam: ad Aristocratiam tamen eos, si inter se vt in vnico corpore constituti, comparentur, proximè accedere. Hic status luculenter assignatur à meo Domino num. 6. Monarchiam tamen inter ipsos nullam esse apertissime est demonstratum. Tu vero nimium excors, qui non capis aliud esse opem ferre vniuersali Ecclesiæ, aliud eidem imperare. Singuli Episcopi potestatem habent gerendi curam in casu extraordinario totius Ecclesiæ, hoc est, in quacunque sui parte illa laboret. At verò totam regendi Ecclesiam regimine ordinario nullam habent singuli potestatem, habent vniuersi: singuli verò pro sua portione.

Vtinam te, Leonarde, quadrupedem auriga aliquis currui suo alligasset, cursu certaturus, certe in stadio Olympico victoriam reportasset. Ita non tam *tolutim badissas, quàm grandibus graderis gradibus*, ad singulos passus integra iugera emetiris. Ecce duobus duntaxat saltibus duodecimum caput mei Domini totum, satis illud quidem spatiosum, varijsque contra vos Hieromonarchicos munimentis instructum, percurristi. Primus saltus fuit à num. 13. capitis 11. ad num. 15. capitis 12. Alter saltus est ab hoc num. 15. ad num. 46. eiusdem duodecimi, hoc est, ad ipsum finem. Quæcunque ergo præcedunt eodem cap. 12. ab initio ad num. 15. cum intacta sint à te relicta, ea omnia salua & solida habenda, tuoque tacito consensu corroborata: item quæ habentur post num. 15. vsque ad num. 46. Itaque concedis

Ari-

Aristocratiam Ecclesiæ num. 2. descriptam, & probatam; Concedis, perperam à Papis Aristocratiam esse in Monarchiam contra Christi institutionem mutatam, de quo Dominus meus nu. 3. Christumq; Prorege Ecclesiastico non indigere, eodem num. 3. & 4. Concedis articulos Ioannis Hus Primatum Petri negantes perperam fuisse damnatos num. 5. Fateris vnitatem Ecclesiæ consistere in vnione multorum membrorũ in vnum corpus sub vno capite Christo: vbi multi Episcopi quasi in vnum Episcopum coalescant num. 9. Admittis firmamenta, quę Aristocratiam Ecclesiasticam oppugnant, & Monarchiam propugnant, esse soluta, quæ sane multa sunt à num. 11. ad num. 22. Largiris plurima, quæ fusè meus Dominus disputat de differentia inter Ecclesiam veterem sub lege quoad regimen, & nouam sub Euangelio à num. 23. deinceps: Non negas conuenientiam inter Aaronem, & quemcunque Episcopum num. 29. 30. 31. Non abnuis Aristocratiam etiam in regimine Synagogæ num. 32. & seqq. Hæc, & alia, quæ tu tuo silentio approbasti, iam pro concessis meritò tenemus; non est ergo cur tibi de lucello vel minimo operę tuæ venali, ob Primatum strenue defensum rependendo spe vana applaudas.

Interseruisti tamen paucula tuo cap. 12. n. 2. & seqq. de laicorum potestate in rebus etiam fidei diiudicandis: quæ quia obiter à meo Domino dicta sunt num. 10. & 46. & expressæ tractationi penitus reiecta in alios libros post quartum subsequentes, neque tibi erat refutandis, neque iam mihi est consolidandis ijsdem immorandum, Ob-

ijcis autem meo Domino indebitam quandam in ſua præfatione prouocationem, vbi ſolos Epiſcopos ad certamen euocat, & tamen iam laico etiam det poteſtatem de rebus Theologicis differendi. Sed iſthæc inepta, ac puerilis eſt obiectio. In ſua enim præfatione, vbi de ſcriptoribus agit *reiectis Grammaticaſtris, Rhetoriculis, Theologis nouitijs*, (vide in his imis ſubſellijs locum tuum, Mari) potiſſimum cupit Epiſcopum aliquem doctum, & prudentem ſecum congredi: non tamen ideo excludit vllum Theologiæ peritum, ſiue laicus ſit, ſiue ſacerdos, qui cum eo candide ſit acturus, ac rem cum re, rationem cum ratione collaturus, non, vt tu, verborum ampullis argumentorum loco vſurus, nec, vt tu, aliena, parúmque ad rem ſpectantia conſectaturus. Quid hoc ad Laicorum omnium de rebus fidei iudicia exterminanda? Quod ſi doceri ſuſtineas, quæ de hac laicorum poteſtate ignoras, expecta libros ſubſequentes: nam lib. 6. cap. 5. diſces Principes ex officio multa poſſe in Eccleſia; lib. 7. fuſe agitur de iudice controuerſiarum, nec vno loco. Libro 8. tractatus prolixus habetur de Appellationibus. Has & alias Domini mei de Repub. Eccleſiaſtica libri partes, tam editas, quàm edendas, dum partim ad nutum ipſius tranſcribo imprimendas, partim in typographio dum imprimuntur, perluſtro, partim etiam priuatis ſtudijs recolo, ego certè me melius guſtare, ac imbibere ſentio Nectar Theologicum, quàm tu, Leonarde, vnquam exugere, aut niſu maximo exprimere potuiſti ex Papicolarũ aridis illis ſtipulis, imo nocentiſſimis cicutis, quibus buccam imples tuam, vt in Cathedra Colonienſi

ensi habeas, quod sonet, imo quibus trita & calcata de Papatu Loca communia turgido agmine suffarcis, vt in libellos huiusmodi triobolares refundas. Hoc arroganter à me nouitio & iuuene dictum lector seuerior forte senserit, nisi me intelligat non *Lohetum Amanuensem Doctori Mario* comparare, sed putidis rancidisque Hieromonarchicorum fæcibus, ipsas salutaris mensæ Domini mei Theologicæ reliquias, quas quotidie ingenti cum fructu gusto, meritissime anteferre.

Quoniam autem ea te, Cathedrate Professor, valde torquet, ac sollicitum habet quæstio, quomodo Rex quisque in suo Regno caput dici possit Ecclesiæ, rogo te, sustine parumper, dum libro 6. cap. 5. hic tibi, spero, scrupulus eximatur; & planè cognosces non modo Regem Mag. Britanniæ in suo Regno, & Hispaniæ Regem in Sicilia (vt habes lib. 6. cap. vlt) sed etiam quemcunque aliũ Regem bono sensu posse dici supremum visibile Caput, etiam Ecclesiæ sui Regni. Atque hoc iure sanè diuino; Et quia pijssimum & doctissimum *Britanniæ Regem* veræ Catholicæ fidei verum defensorem, de Capitis titulo admordere, tibi scilicet visum est, scurra famelice, prandio coempte, chartarum conspurcator, cohibe paulisper latratum, vt audias totam eiusdem Deo charissimi Regis defensionem, post tot alios huius Regni viros eruditissimos, etiam à meo Domino Spalatensi seorsim elucubratam, & ad finem libri sexti adiectam.

Mariani

Mariani Ludi Epilogus explosus.

SOrdet apud Rhetores κοινὸν προοίμιον commune exordium, hoc est quod in forensi declamatione ex vna parte adhibetur, cum æque vtrique aduersario possit conuenire. Similiter etiam Epilogus, vbi auditorum animis in ipso discessu aculei sunt infigendi: In tuam ergo artem peccasti, Mariole Rhetorcule, cum in extremo actu Dominum meum, tuis scilicet monitis, onerandum dimissurus, de erroribus, de malitia, de Ecclesiæ hostibus, de retractatione, & resipiscentia garris, ac cantillas. Ijsdem, longeque acrioribus, verbis ego quoque nomine mei Domini te, Leonarde, possum affari, & sanè iure multo meliori. Vbi res patet, quid verbis opus est? Ecclesiam Catholicam matrem suam meus Dominus non impugnat, sed tuetur; Romanam Curiam, quæ se pro Catholica Ecclesia venditat, impugnat, meritóque detestatur: Christi causam tuetur: legitimam Christi sponsam è vestris manibus, qui eius non paranymphi, sed stupratores estis, liberare conatur. Vos resipiscite, & ad cor redite. Veritas vobis iam clara elucet, ne occludatis oculos. Non læsit Roma Dominum Spalatensem, quem potius plurimum amauit. Testor subsequentia Papalia Breuia. Dignitatem Cardinalitiam non ambiuit, si eam expetijsset, à Romana Curia non tantopere fuisset alienus: Adulationi operam nauasset, pecuniam, pro magnis donarijs, sine quibus Coccineus ille fulgor non obtinetur, coaceruasset, studijs libríque valere iussis, mores Curiales induisset, se in Aristippum

pum transformasset. Hac via, his artibus sibi aditum ad Cardinalatum aperire cum cæteris tentasset. Quod si, marsupio haud suppetente, adhuc alio vti voluisset ad rubrum galerum promerendum compendio, —— *ne longe exempla petantur*, Baronium, & Bellarminum præ oculis habebat, quos imitatus, excogitatis contra conscientiam cauillis, ingeniosè compositis tricis, distortisque per assuta interpretamenta antiquitatis monumentis, per fas ac nefas Papatum tueretur: Neque enim ei defuerat (vt, me famulo tacente, indigno certè iudice, omnibus, etiam aduersarijs, iam satis constat ex ipsius primis quatuor libris) sagax & perspicax ingenium, quo, si purpuræ inhiasset, abuti potuisset ad Papatum nouis laruis fucandum, speciosisque coloribus exornandum. Pro veritate autem, pro Christo, pro pace conscientiæ suæ, maluit non modo sine fastuoso, quem nunquam concupiuit, Cardinalatu, sed & sine non incelebri, quem possederat Episcopatu, exul abire, maria montésque ingenti cum periculo superare, patriæ, amicis, cognatísque omnibus in perpetuum valedicere, quam veritate suffocata, Christo contempto, conscientia obloquente, dignitatibus abundare, voluptatibúsque circumfluere.

Dominum Spalatensem Conciliorum & Patrum testimonijs abusum asseris. Quibus tamen, vbiue, ne digito quidem exerto ostendis: tantum abest vt probes. Non iam Patribus abutitur Dominus meus, sed tu ille, imo etiam lectore tuo. Clamas autem ipsum *calumnijs & maledictis in omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos debacchatum*. Ille (quis vnquam laboriosius?) Episcoporum au-

to

toritatem tuetur, eos in priſtinam libertatem vindicare totis conatibus ſatagit, eos amice monet, hortatur, etiam ſtimulis incitat vt expergiſcantur. ne ſe amplius à tyranno opprimi ſinant. Hanc officij charitatiſque frugem, quis debacchationem dixerit, niſi qui æquè ſobrius eſt ac Bacchæ Bacchantes? Sed huiuſmodi clamoſi debacchantium Cenſores Antibacchij, Bacchum ex hedera potius, quam ex thyrſo norunt.

Hic etiam de Concilio Tridentino *iteratis vicibus peierato* garris, nempe vt impudentiſſimo mendacio infame tuum opuſculum obſignes. Sed de hoc, alijſque fabellis tuis poſtmodũ agitur inter Calumnias; quas in extremum angulum reijcimus, non ſecus ac qui domum ædificant, ſentinas, & latrinas, cloacaſque in remotiora ac poſtica detrudunt.

Quid autem eſt Emblematis, quod in ipſo opuſculi calce video? Eho reſponde Mari. Tum ille, Ac libenter quidem. Gemma eſt, eaque lucidiſſima, qua extremam hanc ſtolæ meæ fimbriam decoraui. Atque ego, Certè aureo Cypriani nitet nomine. Sed nunquid Cyprianus factus eſt veſter in cauſa Papali aduocatus? Eum ego, reſpondet Marius, ſæpe ſoleo aduocare: ac, cum libellum hunc meũ ad vmbilicum perduxiſſem, ita venerabundus eundem ſum affatus. *A te principium, tibi deſino* — Tu, ſancte Cypriane, operis mei & A, & Ω, Mihi hanc telã ordienti ſuggeſſeras, quod in fronte præfixi, de *vno in Eccleſia vice Chriſti, iudice.* Iam, cum officinam claudo, tu, ſancte martyr, tibi ſimilis, illi ſimilem, oro, mihi porrige coronidem, concinnam futuram Papali capiti coronam. Simulque

mulque, hoc voto præmisso, sancti Cypriani scripta consulo—— Siste vocem parumper. Ego pro te pergam, mi Leonarde, Audite populus. Tum Marius cũ frustra Cypriannm peruoluisset, confestim Achatem suum *Binium* ad se vocat; ac, Tu, inquit, mi conserue Papolatra, subueni, vt corollæ meæ extremum flosculum ex hoc horto attexam. Ille quærendo lassus, vt vera fateamur, inquit, non habet precarium hic Pater pro Romana Hieromonarchia testimonium; potius contra Papatum nimis iusta iurgia, nimis vera vaticinia. Hoc Binij sui dicto Leonardus factus aliquanto turbatior. Sat, inquit, habeo (Quid miraris? Quid minaris Mariotte? Ne interrumpas vocem *Lobeti* tui. Pergo in historia) Satis est, ait Marius, si Albo huic meo nomen suum Cyprianus iterum inscribi patiatur. Cui Binius. Perge igitur eum rogitare, vellicare, cogere. Scribe modo Cypriani nomen. De sententia haud multum refert, quicquid ex vrna sorte obuenerit, modo de Ecclesiæ Rectoribus aliquid sonet. Hic recreatus Leonardus iterum folia excutit, ac tandem, vt bestiæ dominante fame ad illum, vbi prius pastæ sunt, locum reuertuntur; sic famelicus noster omnium pro Papatu vmbrarum auceps in ipsam recidit paginam, vnde prius Emblema in libri sui vestibulo positum desumpserat. Ibi aliquantulum pergens, εὕρηκα, clamat, εὕρηκα.

Cyprian. lib. 1. *Ep.*3.

Christi aduersarius, & Ecclesiæ eius inimicus (id est omnis μισοκλήρος) *ad hoc* ECCLESIAE PRAEPOSITVM (caput Ecclesiæ Papam intelligit

toritatem tuetur, eos in priſtinam libertatem vindicare totis conatibus ſatagit, eos amice monet, hortatur, etiam ſtimulis incitat vt expergiſcantur. ne ſe amplius à tyranno opprimi ſinant. Hanc officij charitatiſque frugem, quis debacchationem dixerit, niſi qui æquè ſobrius eſt ac Bacchæ Bacchantes? Sed huiuſmodi clamoſi debacchantium Cenſores Antibacchij, Bacchum ex hedera potius, quam ex thyrſo norunt.

Hic etiam de Concilio Tridentino *iteratis vicibus peierato* garris, nempe vt impudentiſſimo mendacio infame tuum opuſculum obſignes. Sed de hoc, alijſque fabellis tuis poſtmodũ agitur inter Calumnias; quas in extremum angulum reijcimus, non ſecus ac qui domum ædificant, ſentinas, & latrinas, cloacaſque in remotiora ac poſtica detrudunt.

Quid autem eſt Emblematis, quod in ipſo opuſculi calce video? Eho reſponde Mari. Tum ille, Ac libenter quidem. Gemma eſt, eaque lucidiſſima, qua extremam hanc ſtolæ meæ fimbriam decoraui. Atque ego. Certè aureo Cypriani nitet nomine. Sed nunquid Cyprianus factus eſt veſter in cauſa Papali aduocatus? Eum ego, reſpondet Marius, ſæpe ſoleo aduocare: ac, cum libellum hunc meũ ad vmbilicum perduxiſſem, ita venerabundus eundem ſum affatus. *A te principium, tibi deſino* — Tu, ſancte Cypriane, operis mei Α, & Ω, Mihi hanc telã ordienti ſuggeſſeras, quod in fronte præfixi, *de vno in Eccleſia vice Chriſti, iudice.* Iam, cum officinam claudo, tu, ſancte martyr, tibi ſimilis, illi ſimilem, oro, mihi porrige coronidem, concinnam futuram Papali capiti coronam. Simulque

mulque, hoc voto præmisso, sancti Cypriani scripta consulo—— Siste vocem parumper. Ego pro te pergam, mi Leonarde, Audite populus. Tum Marius, cũ frustra Cyprianum peruoluisset, confestim Achatem suum *Binium* ad se vocat; ac, Tu, inquit, mi conserue Papilatra, subueni, vt corollæ meæ extremum flosculum ex hoc horto attexam. Ille quęrendo lassus, vt vera fateamur, inquit, non habet precarium hic Pater pro Romana Hieromonarchia testimonium; potius contra Papatum nimis iusta iurgia, nimis vera vaticinia. Hoc Binij sui dicto Leonardus factus aliquanto turbatior. Sat, inquit, habeo (Quid miraris? Quid minaris Mariotte? Ne interrumpas vocem *Loheti* tui. Pergo in historia) Satis est, ait Marius, si Albo huic meo nomen suum Cyprianus iterum inscribi patiatur. Cui Binius. Perge igitur eum rogitare, vellicare, cogere. Scribe modo Cypriani nomen. De sententia haud multum refert, quicquid ex vrna sorte obuenerit, modo de Ecclesiæ Rectoribus aliquid sonet. Hic recreatus Leonardus iterum folia excutit, ac tandem, vt bestiæ dominante fame ad illum, vbi prius pastæ sunt, locum reuertuntur; sic famelicus noster omnium pro Papatu vmbrarum auceps in ipsam recidit paginam, vnde prius Emblema in libri sui vestibulo positum desumpserat. Ibi aliquantulum pergens, εὕρηκα, clamat, εὕρηκα.

Cyprian. lib. 1. *Ep.* 3.

Christi aduersarius, & Ecclesiæ eius inimicus (id est omnis μισοπάππας) *ad hoc* ECCLESIAE PRAEPOSITVM (caput Ecclesiæ Papam intelligit

ligit Cyprianus; signaui igitur literis capitalibus) *persequitur, vt* GVBERNATORE (en iterum Pontificem Romanum) *sublato, atrocius, atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur* (Ecce denique Ecclesiæ Catholicæ statum, quæ sublato Papatu tota certo certius naufragabit.)

Io triumphe, vicimus hostes.

Si, bone Mari, fueris in me colloquia vestra narrantem commotior modo, at iam subrides, iam in gratiam mecum redis. Annon optimum ex animi tui sensu verbis Cypriani glossema interpolaui? Sed heus lætabunde Mariotte, audi in aurem. Non satis officiosè sanctos inuocas. ---- *Fatis adductus iniquis* Sanctum hunc Doctoris, Martyrisque aureolâ insignem parum fæliciter vocasti in auxilium.

Affuit ille quidem, sed nec tibi commoda verba,
Nec lætos vultus, nec fælix attulit omen.

Iterum, sed diligentius, Cyprianum tuum (imo nostrum) consule. Videbis (imo vidisti, sed παροράς) *Ecclesiæ inimicum* à Cypriano innui, non Paparum hostem, sed fautorem potius, qui rem suam, regnumque Papatus ope promouit, ipsum aeris Principem, *Præpositi* autem & *Gubernatoris* titulis quemuis intelligere in sua Ecclesia Episcopum; maximè autem se ipsum, qui hæc scripserat. Cyprianus scilicet à *Fortunato*, & *Felicissimo* desperatis perditisque schismaticis Romam aduolantibus se spretum contemptumque queritur, adeoque Episcopalem potestatem hoc exemplo conculcatam; ac Ecclesiam quamlibet particularem atrocibus naufragijs expositam, si modò, sublato

ſublato proprio Epiſcopo, presbyterorum ſchiſmata graſſentur, erroribuſque, abiecto fræno, licentia relinquatur. Si hæc tam clara, & lippis nota oculi tui, Mi Mari, rectis radijs non poſſint in ipſo Cypriano contuerj, ſume quæſo, ac oculis tuis appone ſpecilla illa, quæ Dominus meus lib. ſuo 4. cap. 10. num. 75. lippientibus aptauit: adeoque *Pamelium* veſtrum his aſſentientem vel ſequere, vel inſectare. Amicè tibi conſulo, Leonarde: ambula continuò in forum, vt quamprimùm emas tibi apta, & veracia perſpicilla. Atque audin? Eâdem operâ ſpongiam tibi compara; qua imprimis gemellas illas è Cypriani ſcrinijs compilatas ſententias è pagina tua primâ vltimâque abſtergas. St. redi etiam Mari, audi cætera: ne de ſpongiolis licitere, qualibus minutuli purgarj ſolent pugillares; ingenti eſt opus. Non modo prologus, epiloguſque, ſed & totus tuus Aiax expectat, in quam incumbat, ſpongiam. Tu vero, qui adeo parcis ſumptui, vt Domini mei librum nunquam emeris (nempe ſi emiſſes, legiſſes, ſi legiſſes, aut magis appoſite, aut nihil reſpondiſſes) tu tam tenax ac ſordidus nunquam ſpongiam amplam ſatis comparabis. Ego igitur hic, vt vidiſti, paraui tibj; ac non modo tabellas tuas inaniloquijs ſcatentes, ſed & aliquando furfuraceum caput tuum manu tonſoria leuiter potiùs, quàm leniter fricante depurgaui.

Exit è ſcena Marius diſputator:
Intrat idem dennò conuiciator.

Ad

Ad Calumnias Marij, ac aliorum eiusdem farinæ, vel potius latrinæ.

LEonardum hunc nostrum, reliquorum eius similes in theatro blaterantes conuitiatores clamosos, scurras cænipetas cum audio linguam venalem mendacijs ebuccinandis soluentes, intueri videor mihi Plautinos parasitos, quibus illud frequenter in ore,

Si dixero mendacium, solens meo more fecero.

His profecto laruatis rabulis, quos huius *Magister artis venter, ingeniique Largitor* docuit contra Dominum meum ad rauim vsque clamitare, vt ora obstruamus, non modo refellenda ipsa mendacia, sed & quo dante fabulam recitent, quis eos in scenam protrusit, demonstrandum.

Aduersarios (præsertim eos qui rem Romanam ex officio procurant) grauiter commouerat Domini mei primò abitus, deinde Consilij sui enarratio; plane autem percelluerat iam tum edendus, ex parte iam editus *de Rep. Ecclesiastica* liber decemplex. Quid his regerendum? Longi operis refutandi & ingens labor, & euentus haud optabilis. Breuiore compendio res transigenda. De transigendi modo quis nescit, inita consilia? per quos, ac de quibus sit tractatum haud certe difficile diuinare. Quid igitur illi? Antiquis (inquiunt) vtendum artibus. Populus ex persona caussa. non ex caussa personam metitur: de persona autem ex primò auditis iudicat. Curandum igitur, vt qui Archiepiscopum Romanæ ditionis subiectum eas partes & dogmate & corpore deseruisse

seruisse audierint, eundem conscientiæ terroribus, pœnęque metu aufugisse suspicentur. Animos itaque credulos, & faciles capi primo quoque tempore imbuat scelerum aliquorum, quasi abeuntem comitantium fama.

——*Hinc primò*
Criminibus terrere nouis, & spargere voces
In vulgum ambiguas——

Deinde per nuncios, satellites, ac Sycophantas accuratiùs omnia rimari, vt aptum crimen confingatur. Eum in finem subditijs per Segniensem, ac Spalatensem diæcesin, ac prouinciam emissis exploratoribus, scisciatarj, Nihil ne apud vos nuperis hisce annis fædi, aut funesti? Nihil latrocinij? nil homicidij? nullane forte conflagrauit Ecclesia? His transfugæ Archiepiscopi nomen supponite: arrepta aliqua circumstantia ei hæc assuite, vel vt patranti, vel vt subornanti, vel vt conniuenti. Ex possibili facite probabile, ex probabilj verum, certum, fatale. Si in rebus gerendis, in legationibus obeundis, in Principibus reconciliandis adhibita fuerit eius opera, affingite eum fidem datam fefellisse, tutelæ suæ commissos prodidisse, ac perdidisse. Quid? nulline huic consanguinei? nulli clientes? Si nepotes educauerit; dicite a patruo patrimonio emunctos: Si neptes dotauerit, dicite prius ab eo constupratas.

Tum his ita consulentibus non-nemo, cui candoris aliquid, & conscientiæ, in Archiepiscopum ortu nobilem, educatu grauem, ætate reuerendum, probitate apud suos celebrem vix hæc sono ipso quadrabunt. Deinde apud nostros, si qua sint huiusmodi,

iuſmodi, Prælatorum vitia contegi ſolent, non vindicari. Quis vnquam Epiſcopatũ deſeruit flagitij conſcientia percitus? Vnicum apud vos flagelli conſcium ſcelus, Tricorone caput temerare.

Hic Conciliabuli huius Præſes, Tu verò, ſi pergas, non ſcuticæ, ſed flagelli fies conſcius. Tace. Nobis res noſtra quoquomodo promouenda. Audacter calumniandum; hærebit aliquid; ſaltem apud imperitam plebeculam. Neſcis inſane, neſcis quanto cum fructu in *Luthero*, in *Calvino* hoc tentauimus, qui, nobis talia ſpargentibus, iandiu à populo non modo hæretici habentur, ſed & impoſtores, ſtigmatici, Dæmonumque contubernales. Annon hic iam alter eſt *Lutherus*? Annon fatali quadam obita periodo ——*Centum voluentibus annis* reſurrexit in hoc *Marco* ille *Martinus*? Quam tamen metempſychoſin à ter reuerendis *Magiſtris Noſtris* in ſua Cenſura Pariſienſi euulgatam fuiſſe certe non laudo: ſuſpicor ſcilicet populum fati opinione flexibilem forte haud minores huic, quam priori, *Luthero* progreſſus poſſe ſpondere: Annon creditur Martinum illum integro ſæculo fuiſſe promiſſum per illâ *Iohannis Hus* vocem propheticâ, *Poſt centum annos Deo reſpondebitis, & mihi*? Ita valebit opinio hunc Antonium ex *Luthero* patre, ex *Iohanne Hus* auo iam tertio natum ſæculo magnam ſedi Romanæ cladem allaturum. Hæc, & alia, cogitantem

——*tantò me impenſius æquum eſt*
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

Emittenda ſunt, quibus M. Antonij fama iuguletur, criminationũ ſpicula; dũ malũ eſt recens, occurrendum. Nulline reperiuntur ex ipſius ſubditis,

quos

quos ille censura forte Ecclesiastica coercens in se olim irritauit? Nulline Clerici, quos ob flagitia castigauit? Currant emissarij, accersantur si qui sint huiusmodi; hi aliquid veri ponent, ac quiduis falsi attexent; fabulâ compositâ, affabreque consutis circumstantijs. Deinde exquirendi scripturientes rabulæ, qui dati prandij gustu, ac dandi stipendij spe conducti, confictas hasce narratiunculas libellis infamibus hinc inde dispergant.

Tales quærentium vocem audijt ex imo Tartarus, ac non tam *angvicomas*, quàm *anguilingues* humana specie furias eructauit. Adsunt ad manum plurimi Rhapsacæ, qui Israeli insultent, ac diris opprobrijs lacessant. Inter hos cæteris audacius vociferantur hic nullo nomine, ille ficto, iste suo. Iste, inquam, sorex, tu noster Leonarde, antеambulonis tui spumam elingis Cerberеam, vel si mauis hesternum relambis vomitum spurcissimi tenebrionis, qui se *Fidelem Annosum* vocat, dignus qui in fidicula annos agat suos. His fæcibus alienis, quiddam de tuo interspergens, libri huiusce tui cap. 3. num 27. etiam nulla ibidem ex re captata occasione, ita cothurnatus contra Donatum meum rhetoricaris.

Post susceptum cum periurio religiosæ vitæ institutum; Post peieratam Romanæ Cathedræ obedientiam; & Tridentini Concilij obseruationem; post præcipitatos insidijs tuis Segmenses; Post cruentatas innocentum subditorum sanguine, Episcopi manus, &c.

Auditin' vt hæc rotundè conglomerat fori declamatorij fax & fæx, quâ pleno fluctu virus suum euomat hæc exetra? Cum hæc legissem, statim

ad Dominum accurro, ac clamo. En incidi in ipsum mendaciorum nidum, in vesparum fauos, in mali corui mala oua.

En mendacia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum.

Quicquid latrent, inquit Dominus,

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Et merito quidē mille huiusmodi conculcat, irridetque calumnias, vtpote qui obtrectatores, maledicos, canes, viperas, ex olidis antris suis subreptaturos, ac sibila, venenumque emissuros præuiderat, ac in sua Profectio- is expositione prædixerat. Quos quidem emissarios allatratores, vt, propter innocentiam suam, spernendos, ita propter patientiæ legem, pro Christo, eiusque in causa animo pacato tolerandos statuit. Tum pergit. Cuius autem, Lohete, generis hæc est, quam offundunt, contumelia? Qua in classe mihi sedem designant? Certe horresco referens, sed respondeo, præfato honore, Caino & Iudæ audent vos annumerare nebulones illi, qui ex suorum scelerum recordatione pronuntiant de alijs: præter perfidiam vobis etiam homicidia imputant, manus vestras sanguine fœdatas clamant. Hic placido vultu Dominus meus, Haud quidem dignus ego, qui *viro secundum cor Dei* sanctissimo Dauidi comparer. Verùm affer huc, Daniel, Biblia. Statimque ad 2. Reg. 16. intento digito, En, inquit, sub persona Semei Marium tuum. Viden' vt furore felleo turgens *egrediebatur vir de cognatione domus Saul, nomine Semei filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat. Mittebatque lapides contra Dauid. — & terram spargebat.* Sic iam

ille

ille egrediens, vociferans me conuiciorum cæno maculare, ac immanium mendaciorum lapidibus obruere ſatagit. *Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret, Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial— ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es.* Quam verus alter Semei iſte qui contra me inclamat *cruentatas innocentum ſanguine manus.* Hæ Marij partes. Meæ autem ſunt illa, *Dimittite eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? — Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna?*

Tum ego, Tertiæ profecto partes meæ ſunt. *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo? vadam, & amputabo caput eius.* Huic moribundo vel cani, qui rabidis latratibus pene animam efflauit, vel ſorici, in muſcipula ſub craticula extremum anhelanti, ego certe caput abſcindam, ac ſtylo hunc meo, quaſi palo, ſuffigam. Vt itaque caput rei attingam, ipſumque huiuſce ſanguinarij putridi mendacij vlcus ſcalpello meo lancinem, me adhuc haud ſatis gnarum doce, quæſo, Reuerendiſſime Domine, vllamne hiſtoricæ narrationis anſam, cui hæc portenta aſſuant, arripere potuerint huius calumniæ fabri? Quod hominum genus hi Segnienſes? cur, à quibus occiſi? Hæc ſciſcitanti mihi multa de Segnienſium vſcoccorum piratica, ſupplicio, reformatione reſpondit Dominus, non tantum ex publicis, quæ ipſe eo nomine obierat, negotijs, ſed etiam ex luculentis ea de re editis hiſtorijs. Tandem etiam huius figmenti fontem, vnde ſua Marius hauſerat, deſig-

nans, Epistolam quandam nominauit, quæ ab illo fictitio *Annoſo Veremontano* in ſuo famoſo libello eſt euulgata.

Me tamen, poſt viſam mihi, ac lectam epiſtolam, non acquieſcente, ſed denuo rogante, num ab alio conſcripta, an ab ipſo publicante (imo publicano) eſſet conficta epiſtola illa; ſiquidem eandem ille inueteratus dierum malorum *Annoſius Veruex-montanus* Epiſcopo cuidam, vt ſcriptori attribuit. Hic mea importunitate victus reſpondit Dominus, epiſtolam illam ab *Epiſcopo Tragurienſi Martio Andreutio Foroiulienſi* homine ruſticano ſcriptam eſſe ſe non ambigere. Ad eam verò texendam, mendacijſque grandibus ac decumanis ſuffarciendam facile adductum Andreutium, non modo ad gratiam cum Nuntio Papali ineundam, ſed etiam ob veteres quaſdam ſimultates, quæ inter ipſos interceſſerant. Erat enim (inquit Dominus) hic Andreutius meus ſuffraganeus, meæ Metropoli ſubiectus; à ligone ad gladium, à gladio ad Decanatum Vtinenſem, à Decanatu ad Epiſcopatum Tragurienſem ideo promotus, quia factiones Cardinalis cuiuſdem potentis aduerſus ſuum proprium Patriarcham Aquilegienſem ſecutus, eique factus rebellis & proteruus, Cardinalem illum cum Patriarcha, ob quædam iuriſdictionalia, ſimultates gerentem ſibi promeritus fuerat. Acceſſerat etiam meritum haud vulgare (vnde agnoſcas eum à ſtiua ad aram proruiſſe) quod in choro ſacri templi Vtinenſis vni ex Canonicis ipſe tunc Decanus, dum ſacra peragerentur, colaphum impegerit, ideóque Romam profugit. Et cum vacatio Archiepiſcopatus Spalatenſis contigiſſet

gisset eum animo certe, ac spe iam tum deuoraue-
rat. Mihi quidem Pontifex in Archiepiscopatu
hoc obtinendo potius quã illi fauerat, ita tamẽ vt
illi super eiusdem Archiepiscopatus redditus pen-
sionem quingentorum coronatorum annuorum
in præmium meritorum prædictorum reseruârit,
mox verò etiam Episcopatum ei concessit Tragu-
riensem : at tetrum vlcus ei in animo contra me,
qui Archiepiscopatum ei præripueram, radicitus
hæsit. Postea verò cum ego pensionem iniustam,
& iniustè mihi nunquam consentienti, imò pror-
sus inscio impositam soluere detrectarem, & in
lites illum graues pro mea iusta defensione addu-
cerem, Romæque causa mea Rotæ decidenda, &
nunquam hactenus terminata, esset commissa, in-
de ille odio me implacabili semper est prosecutus.
Accessit verò, quod, cum pro meo munere ego il-
lum ex summa inscitia, vtpote qui nulla penitus li-
teratura tinctus erat, in suæ Ecclesiæ regimine tur-
piter errantem sæpius increparem, corrigeremque,
ille me ipsius Metropolitam, legitimum adeo mo-
nitorem, superiorem & iudicem ordinarium con-
temnere sæpius ausus est. Mihi inde necessario ad
pœnas etiam contra ipsum irrogandas interdum fu-
it deueniendum. Ex quo odium ipsius erga me
quo minus iustum, eo grauius acerbiusque incru-
duit. Quid mirum igitur si postea me absentem,
ac aliorum calumnijs expositum sugillarit, ac vt
quoquo modo posset mihi obesset, literas huius-
modi calumnijs plenas confinxerit

Nam si non aliquâ nocuisset, mortuus esset.

Quod si tanti interest lacunam hanc penetrare,
ac calumnias etiam aliorum alias quam sint futiles

plenius cognoſcere, percurre, *Lohete*, Inſtrumenta ac Diplomata, quæ in illa Archiui mei parte tu ipſe cuſtodis. Ex Domini mãdato legi omnia diligẽter; eorũ præeunte face, tua Leonarde, tuique ſimilium famam Domini mei arrodentium mendacia facile patuerunt. Ac ad ea iam refutanda me accingo. Tria itaque quę ponis, præcipua crimina Deſertionis, Periurij, Homicidij ſigillatim ſuo ordine diluam.

Pag. 94. Mordes in primis tanquam ſuſcepti religioſi inſtituti deſertorem. Ego verò vidi quod tuam iugulat calumniam, & legi exemplar literarum, quas idem meus Dominus Greçio ex collegio Societatis, in quo tunc hoſpes degebat, ad ſuum Generalem miſit, in quibus proponebat ei, vt ſi placeret ipſi Generali, facultatem ei concederet, vt cum bona venia ipſius & Societatis, curam ſuſciperet adminiſtrandi Epiſcopatus Segmenſis, pro Antonio Epiſcopo dicti loci, Domini mei Patrueli, à Turcis in Cliſſiaca infælici expeditione eo anno capto, vt ſic poſſet & miſero captiuo redemptionem, & domui ac familiæ ſuæ regimen, quod in ſolum Antonium reciderat, cui fratres, cum prole numeroſa inhærebant, in ſe ſuſcipere. Vidi authenticas Generalis Claudij Aquauiuæ patentes literas, quibus Dominum meum in gratiam captiui patruelis, & familiæ afflictæ, liberum facit ab omni voto & obligatione erga Societatem Ieſu. quippe nondum profeſſum: literæ verò prædictæ datæ ſunt Romæ, ſub die 14 Iunij anni 1597. Extat originale in ipſo Domini mei Archiuo: & Regiſtra literarum prædicti Generalis Romæ procul dubio eaſdem continent.

Quod

Quod ergo ſtultè, quaſi deſertionis votiſragæ periurium commemoras? Profecto etſi etiam abſque conceſſa liberatione ad Epiſcopatum fuiſſet promotus (quod tamen factum non eſt) quodnam periurium poſſes hic olfacere? Annon liber patet trãſitus à Religione ad Epiſcopatũ abſq; vlla diſpenſatione, vlloq; piaculo deſertionis ſi modo excipias quatuor votorũ profeſſos Societatis, propter votum quoddam ſimplex particulare ab ijs ſumptum, de non admittendis dignitatibus; quod à meo Domino nunquam emiſſum eſt, quia talis profeſſus nondũ fuit. Vbi iam Ordinis religioſi ſuſceptj periura deſertio? Tua potius, Marj, hæc eſt cauſſę tuæ deſertio.

Secunda criminatio tua eſt *peierata Romanæ Cathedræ obedientia ac Triaentini Concilij obſeruatio*: quæ ſcilicet tanti preti tibj fuit vt eandem denuo repeteres in Epilogo tuo, alioque appendice mendacio ornares, vbi quæritas, *qua conſcientia* Dominus meus *tot iteratis vicibus auſus fuerit in verba Concilij Tridentini iurare, etiam tunc, cum iam animo concepiſſet, imò inchoaſſet*, ſuæ opus profectionis, quod tu ſcurra vocas *facinus apoſtaſiæ, & libros aduerſus ipſum Concilium eiuſque dogmata pararet.* Iuramentum in verba Concilij Tridentini vocas profeſſionem illam fidei quam Pius quartus ex Concilij dicti decreto efformauit, ab ijs emittendam, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſijs præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs Eccleſiaſticis curam animarum habentibus prouideri contingat: vt eſt in bulla dictæ profeſſionis, ſub anno 1564. incipit, Pag. 314.

incipit, Iniunctum nobis &c. Hæc professio Domino meo emittenda non fuit postquam ad Episcopatũ Segnienſẽ est consecratus, quæ consecratio, vt video in ipsius Bullis, fuit anno Dom. 1600. Et si vis etiam in translatione ipsius ab Episcopatu Segnienſi, ad Archiepiscopatum Spalatensem necessariam fuisse hanc professionem, ipsa translatio fuit anno Domini 1602. Posthæc nulla amplius fuit occasio, nulla necessitas dictæ professionis emittendæ: libros vero suos scribere, aut parare non cæpit, vt ipse in sui Consilij expositione num .8. testatur, & lectorem initio sui operis monet, nisi post interdictum Venetum, ante duodecim annos: vltima vero fidei professio ab eo facta est ante octodecim, aut ad minimum ante 16. annos. Fædissimum igitur est; planeque te, Mariotte, dignum mendaciũ, cum ais eum iurasse in verba Concilij, etiam tunc cum iam animo cõcepisset abitionem suam. Certè de discessu, vt apparet ex ipsius illa sui consilij expositione, non cogitauit, nisi postquam iam plenè errores vestræ sectæ agnouerat, & hic publicè profitetur se non nisi biennio antequam abiret ipsum discessum mente concepisse, & statuisse: & dum scriberet, aut scribenda pararet, non nisi speculatiuè varia dubia animo reuoluisse, & Patrum lectione auxisse: practicè vero nihil de pristina sua institutione remisisse. Post inceptum ergo priuatum huiusmodi examen, nunquam professionem illam professus est: & quando eam prius iurabat, communi errore abreptus, deceptusque bona fide iurabat. Postea vero cum veritas illi alluceret aduersus eam professionem in ijs partibus, quæ antiquis Symbolis nefariè adhæsit à Romanensi-

Romanensibus sectarijs,& sensit,& merito insurrexit,nec propterea ex animi in melius immutatione periurus factus est. Iurauerat enim bona fide, multas falsitates,& fortasse hæreses, se creditum: patefacto errore, sacrilegum iuramentū, quod bona fide nonnulla ex parte excusabatur prius, iam capitale ei fuisset, si illicitè iurata, adhuc,contra correctæ conscientiæ dictamen,seruare voluisset. Tune,Cathedrate Leonarde, periurum vocabis illum, qui post Machometanam superstitionem iam olim iuramento, & publica professione confirmatā,ad Christianā purā fidē se transferret? Et,si talis abiuratio laudabilis est, & glorioſa,abiurare etiam profana Romanæ Curiæ contra Euangelium, contra Ecclesiam Catholicam inuenta,non vitio vertendum, sed pietati, religionique deputandum.

Sed miror quomodo tu tanta periurij religione mouearis,vt ex periurio terrorem aut concipias,aut incutias,cum in illa secta maneas, quæ periurium quodvis dolo interueniente facile dissoluit? Nonne vestra Romanensium doctrina est, licere in loco,iusiurandum per mentales reseruationes & æquiuocationes interuertere? Nisi probe scirem Domino meo ingratum,ac ipso sono molestum esse hoc vestrum pestiferum æquiuocationis dogma,ex eadem vestra doctrina iuramentum illud statim abolere possem, & tuam obiectionem vnico verbo pessundare, ac dicere, iurasse Dominū in verba Concilij Tridentini sub aliqua secreta conditione voluntaria, ac iuranti soli cognita, Imo,absque fraudulenta illa æquiuocatione, & reseruatione,semper in omni stipulatione humana subintel-

ſubintelligitur quædam,non arbitraria,ſed per ſe obligans,reſtrictiua interpretatio , nempe quatenus res iuramento confirmata non ſit Deo,diuinis mandatis,Scripturiſque contraria. Quæ conditio iure diuino naturali ſemper omni hominis,ſeu iurantis, ſiue iniurati promiſſo ita intrinſece adhæret,vt, quatenus illi repugnet huiuſmodi promiſſio,eadem ſit non modo ſolubilis,ſed neceſſariò ſoluenda, adeoque ipſo facto irrita. Veſtra vero arbitraria,ac ludicra æquiuocatio primo rationi bellum infert, eo quod vnicum illud religioſum vinculum, quo homines non prorſus Athei inter ſe in ſuis pactis conſtringuntur & omnis veritas,fidelitaſque ſtabilitur,iam penitus ex humana ſocietate tollat; deinde etiam religioni; cum martyrij occaſiones penitus neceſſarias poſſit eludere. Hac enim ſemel admiſſa poſſent doctrinam hanc peſtiferam Chriſtiani eo trahere, vt liceat, appoſita mentali æquiuocatione,& reſeruatione, omnia tyrannorum fidei perſecutorum tormenta diffugere, in ipſorum verba iurare, idololatriam profiteri, Chriſtum abnegare : Hæc ſcilicet omnia poſſunt,ſecundum aliquam partem ſui, in mente ad bonum ſenſum, & licitum trahi. Propterea cum Dominus meus Tartareum hoc æquiuocationis dogma execretur, nolui eum veſtris infamibus telis tueri:ſed illud monere volui,te non potuiſſe,nec debuiſſe periurium obijcere qui,ſciebas ex veſtra doctrina periurij notam facillime æquiuocatione poſſe abſtergi.

E periurijs duplici fluctu irruentibus ſalui enatauimus: Iam vero turbidum ac truculentum.

—— *Fluuium ſpumantem ſanguine cerno.*

Quem

Quem tamen mihi facillimum est non modo transire, sed totum funditùs exiccare. Tertium scilicet crimen repræsentat nobis rem aspectu, ac auditu horridam, innocentum sanguine cruentas Episcopi manus, per Pastoris insidias oues misellas præcipitatas. Hanc tu scilicet sonoram calumniam, dirumque mendacium ex literis illius Episcopi (tali nomine indignissimi) Tragurienſis, hominis sceleſtissimi, & impostoris impudentissimi, tibi ab *Infideli Annoso* suppeditatis mutuò sumpsisti, in quibus ista legeras. MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS *Episcopus erat Segnienſis in Dalmatia. Segnia vrbs est propter Vscoccos nobilitata, & infesta Venetis. Venetijs cum esset aliquando Marcus Antonius retulit ad Remp. habere se modum obtruncandi aliquot ex illustrioribus Segniæ Vscocchis. Placuit & gratum acceptumque fuit Reipub. M. Antonij consilium. Igitur ad suos redux dolo malo agere instituit cum illis ipsis Vscocchis, vt ad Cæsarem Oratorem mitterent de priuilegijs & immunitatibus in fauorem Segnienſium Vscoccorum obtinendis acturum; quam in rem si alij deessent, se promptum paratumque obtulit. Iuit ergo non orator, sed proditor. Nam ita præclarè rem egit in Aula Cæsaris, vt Commissarium extorserit, qui non priuilegiorum formulam, sed mortis sententiam adferret à Cæsare in capita præcipua Vscoccorum. Illa sententia executioni mandata, cum perfidam istam proditionem suam latere putaret, Segniam repetere cogitabat. Sed decimo ab vrbe milliario nunciatum est Vscoccos non tantum esse nefariæ ipsius proditionis conscios, verum etiam auide reditum præstolari; vt probe se de proditore*

tam

tam scelesto per impalationis supplicium vlciscantur. Quid ageret proditor Antonius? Consilium mutauit, & iter Venetias intendit, præmium rei gestæ petiturus. Hæc est via qua ad Spalatinum in Veneta ditione Archiepiscopatum peruenit. Quia cum sedis Spalatinæ Antistes designatus esset à B. M. Pontifice Maximo Clemente, Decanus Vdinensis (qui nunc alibi Episcopus est) commendatione Reipub. Venetæ, & industria Oratoris Veneti Cardinalis Vendramini effectum est, vt Marcus Antonius, cum onere pendendi dicto Decano annuatim quingenta scuta, in sedem Spalatinam Archiepiscopus succederet. Equidem prima fronte arrisit ea conditio M. Antonio, sed cum sensim grauis illa pensio displiceret, & inde tarda difficilisque solutio fieret, in ius Vocatus Romam ambulauit, causam sub Paulo V. Pontifice dicturus. Illic ab æquo iudice nil iniquum impetrare potuit. Nam cum ea lege pendendæ pensionis Archiepiscopatum lubens volensque admisisset, & non admodum grauis pensio videretur, causa cecidit, & turpiter victus damnatusque abscessit. Hinc illæ lachrymæ; vix Venetias reuersus est, cum dolore & odio plenus maledicta in Romanum Pontificem cæpit euomere, eius autoritati derogare, Ecclesiam clerumque Romanum allatrare &c. Hæc ille bipedum mendacissimus nebulo.

Iam tibi mendacia & impostura detego, quas tamen tu ipse, si vel minimum quid salis haberes, facile ex verbis ipsis illius pseudoepiscopi cognoscere potuisses. Si Cæsar dedit commissarium, cum sententia in capita Vscoccorum, vel eam iniustam dedit, vel iustam: si iniustam, quomodo Cæsar Imperator maximus ab Episcopo Segnensi in fraudē

pellectus

pellectus est? Itane sententia mortis profertur, causa non cognita, non examinata, non ventilata, non discussa? Quid commissarius executor? non & ipse agnoscere debuit quinam, & cur plectendi essent? Tantarumne virium fuit Episcopus, vt tres magnas Principum aulas Cōsiliarijs prudentibus plenas Imperialem Pragæ, Viennensem Austriæ, & Græcensem Styriæ Archiducum, earumque commissarios solo nutu flectere in suā libidinem potuerit, & in necem innocentum pertrahere? Stultus fuisti, qui id tibi persuaderi permisisti, si tamen, quod non credo, permiseris, & non potius contra conscientiæ vocem, mendax impostor esse libenter voluisti. Si verò iusta mandauit Cæsar, & iusta executus est Commissarius, iusta ergo impetrauit Episcopus, & vos latronum publicorum, publicæ, inter Christianos Principes pacis hostes, sicarios, sanguinarios, piratas atrociſſimos, grassatores pessimos, nullius fidei, nullius religionis homines Vscoccos, Turcos vere, nomine duntaxat Christianos, tutelam & defensionem suscepistis, certe quia illi vestri, & vos illorum similes estis, & quod in Episcopo Segnensi suscipere, & admirari cum summis laudibus debuistis, si id fecit quod vos eum fecisse comminiscimi, id vos in odium, inuidiamque conuertitis. Sed iam Andreucciana mendacia clarius agnosce.

Obtulit se Marcus Antonius daturum modum obtruncandi Vscoccos, & se oratorem mitti ab Vscocchis ad Cæsarem curauit, priuilegiorum pro ipsis Vscocchis impetratorem. Ita mendax Andreuccius. Ego vero legi nuper impressam Venetijs

Minutij

Minutij Iadrensis Archiepiscopi Italice conscriptam, accuratam sane Historiam, cui eo firmior adhibenda Fides, quod diu is fuerit Papæ Clementis octaui in publicis negotijs Secretarius. Ita vero scribit ille pag. 32. *Perche hauendo l'Arciuescouo di Zara proposti al Papa diuersi modi di terminarlo, Sua Santitá li comandó, che s'abboccasse col Vescouo di Segna, & che tra di loro vedessino de incaminare il negotio à qualche via di concluſione, per poterlo poi proporre à gl' interessati con maturo fondamento: Il Vescouo di Segna inuitato dall' Arciuescouo passó à Zara, & frà di loro si tennero consulte diuerse per piú giorni, le quali di mano in mano si communicauano al sopradetto Giustiniano, per vedere la facilitá della riuscita, in fine si deliberó, che il Vescouo andasse alla corte di Gratz, & di Praga per portar di lá qualche conuentione ferma con la risolutione de partiti, &c* Et paulo post, *Ma tornando al proposito nostro il Vescouo di Segna arrinato à Gratz trouó in quella corte ogni cosa ben disposta, & vna sincera inclinatione all' accommodamento*; Vides igitur Episcopum Segnienſem, non in Venetorum gratiam ista tentasse, sed à summo Pontifice Clemente octauo illum fuisse ad Archiducem Ferdinandum, & ad Cæsarem missum, vt modum proponeret, & vrgeret ad compescendos Vscoccos, ne piraticam, & latrocinia cum publicæ pacis, & amicitiæ inter Principes Christianos læsione exercerent, sed in syluis cæduis occuparentur. In cuius historiæ confirmationem accipe Breuium Papalium ad ipsum Dominum meum Segnienſem tunc Episcopum, & ad Principes conscriptorum exemplaria, quæ in Archiuis Domini mei seruata reperi.

VENE-

VENERABILI FRATRI Episcopo Segnienſi.

VEnerabilis Frater ſalutem : & Apoſtolicam benedictionem. Iandiu antea de tuæ fraternitatis virtute & pietate præclarè ſentimus, & nuper etiam venerabilis frater Minutius Archiepiſcopus Iadrenſis vetus Prælatus noſter domeſticus & aſsiſtens, multa tua cum laude, nobis ſignificauit, te in eo negotio, quod ad controuerſias inter Segnienſes, & Venetos ſedandas pertinet, egregiam voluntatem oſtendere, & diligentem operam polliceri: quod certè ea quam geris perſona dignum eſt, multumq; in tuis officijs, & autoritate poſitum eſſe non dubitamus, vt multarum diſſenſionum materia remoueatur, & tandem aliquando quies optata regionibus illis reſtituatur. Quare ad te literas dare placuit, vt intelligeres pergratum nobis fore, ſi hoc concordiæ negotium, quod nobis ſanè cordi eſt valde, tua diligentia, promoueris, neque deſtiteris quoad Domino benedicente, quod expetitur, perfeceris: quemadmodum vberius fraternitati tuæ exponet idem Archiepiſcopus, cuius fides & prudentia intima, & diuturna familiaritate nobis perſpecta eſt, & qui partes ſuas in ipſa compoſitionis tractatione ſedulo tecum interponet. Tibi interea noſtram Apoſtolicam benedi-

Minutij Iadrenſis Archiepiſcopi Italice conſcriptam, accuratam ſane Hiſtoriam, cui eo firmior adhibenda Fides, quod diu is fuerit Papæ Clementis octaui in publicis negotijs Secretarius. Ita vero ſcribit ille pag. 32. *Perche hauendo l'Arciueſcouo di Zara propoſti al Papa diuerſi modi di terminarlo, Sua Santitá li comandó, che s'abboccaſſe col Veſcouo di Segna, & che tra di loro vedeſſino de incaminare il negotio à qualche via di concluſione, per poterlo poi proporre à gl' intereſſati con maturo fondamento: Il Veſcouo di Segna inuitato dall' Arciueſcouo paſſó à Zara, & frà di loro ſi tennero conſulte diuerſe per piú giorni, le quali di mano in mano ſi communicauano al ſopradetto Giuſtiniano, per vedere la facilitá della riuſcita, in fine ſi deliberó, che il Veſcouo andaſſe alla corte di Gratz, & di Praga per portar di là qualche conuentione ferma con la riſoluttione de partiti, &c* Et paulo poſt, *Ma tornando al propoſito noſtro il Veſcouo di Segna arriuato à Gratz trouó in quella corte ogni coſa ben diſpoſta, & vna ſincera inclinatione all' accommodamento*; Vides igitur Epiſcopum Segnienſem, non in Venetorum gratiam iſta tentaſſe, ſed à ſummo Pontifice Clemente octauo illum fuiſſe ad Archiducem Ferdinandum, & ad Cæſarem miſſum, vt modum proponeret, & vrgeret ad compeſcendos Vſcoccos, ne piraticam, & latrocinia cum publicæ pacis, & amicitiæ inter Principes Chriſtianos læſione exercerent, ſed in ſyluis cæduis occuparentur. In cuius hiſtoriæ confirmationem accipe Breuium Papaliũ ad ipſũ Dominum meum Segnienſem tunc Epiſcopum, & ad Principes conſcriptorum exemplaria, quæ in Archiuis Domini mei ſeruata reperi.

VENE-

VENERABILI FRATRI Episcopo Segnienſi.

VEnerabilis Frater ſalutem : & Apoſtolicam benedictionem. Iandiu antea de tuæ fraternitatis virtute & pietate præclarè ſentimus, & nuper etiam venerabilis frater Minutius Archiepiſcopus Iadrenſis vetus Prælatus noſter domeſticus & aſſiſtens, multa tua cum laude, nobis ſignificauit, te in eo negotio, quod ad controuerſias inter Segnienſes, & Venetos ſedandas pertinet, egregiam voluntatem oſtendere, & diligentem operam polliceri: quod certè ea quam geris perſona dignum eſt, multumq; in tuis officijs, & autoritate poſitum eſſe non dubitamus, vt multarum diſſenſionum materia remoueatur, & tandem aliquando quies optata regionibus illis reſtituatur. Quare ad te literas dare placuit, vt intelligeres pergratum nobis fore, ſi hoc concordiæ negotium, quod nobis ſanè cordi eſt valde, tua diligentia, promoueris, neque deſtiteris quoad Domino benedicente, quod expetitur, perfeceris: quemadmodum vberius fraternitati tuæ exponet idem Archiepiſcopus, cuius fides & prudentia intima, & diuturna familiaritate nobis perſpecta eſt, & qui partes ſuas in ipſa compoſitionis tractatione ſedulo tecum interponet. Tibi interea noſtram Apoſtolicam benedi-

benedictionem amanter impartimur. Datum Ferrariæ sub annulo piscatoris die 2. Septembris, M.D.XC.VIII. Pontificatus nostri anno. septimo.

SILVIVS ANTONIANVS

ITEM,

VEnerabilis frater, &c. Accepimus multa cum voluptate fraternitatem tuam pium illud negotium de cõtrouersijs inter Segnienses, & Venetos remouendis prompto animo suscepisse, atque in illud alacriter incumbere, ita vt eius causa non solum Græcium iturus sis, sed Pragam etiam profisci, si ita opus fuerit, non recuses, vt cum filio nostro singulariter dilecto Ferdinando Archiduce, ac etiam cum ipso charissimo filio nostro Rudolpho Imperatore electo pacificationis ineundæ rationẽ communices: Nos verò cum superioribus proximis diebus ad te, & ad venerabilem fratrem Minucium Iadrensem Archiepiscopum literas dedimus hac ipsa de re, plane de tua virtute & pietate nobis pollicebamur, fore vt tam salutarem causam omni studio, & diligentia complectereris, & profecto digna est in qua ad Dei gloriam & publicam vtilitatem & operam & industriam tuam adhibeas. Scripsimus autem ad Cæsarem, & Archiducem, vt nostra

ſtra paterna cohortatione ad hanc pacificationem tanto magis eos incitemus. Age igitur, perge Deo adiutore opus inchoatum promouere, noſtra etiam cum benedictione, quam tibi huius rei cauſa nominatim impartimur. Nihil enim tam difficile videre debet, quod à Catholicorũ Principum bonitate, propter commune bonũ, cum viri pij, & prudentis ſedulitas adſit, diuina in primis adiutrice gratia, ſperare non liceat. Datum Ferrariæ, ſub annulo piſcatoris die decimo quinto Octobris 1598. *Pontificatus noſtri Anno* 7.

SILVIVS ANTONIANVS.

Et ad Imperatorem.

CArißime in Chriſto fili noſter Salutem &c. Diu eſt quod publicæ quietis cauſa valde optamus, vt inter Segnienſes & Venetos opportuna aliqua pacificationis, & concordiæ ratio ineatur, quod Maieſtatem quoque tuam expetere non dubitamus, vt multorum malorum frequens occaſio remoueatur, & pax & charitas inter Catholicos Principes retineatur, quæ omni tempore iucunda & ſalutaris, nunc etiam perneceſſaria eſt. Cum immaniſſimus nominis Chriſtiani hoſtis, omnium perniciem ſitiat, omniumq; ceruicibus immineat, Negotium autem inchoatum vi-

detur non mediocri cum spe, in quod cum alij, & nominatim Maiestatis tuæ Commissarij, ac Nobilis viri Ferdinandi Archiducis, tum venerabilis frater Episcopus Segnienſis pia sedulitate incumbit, qui etiam fortasse ad te proficiscetur, vt tua autoritate tanto celerius, ac facilius optatæ rei tractatio explicetur, atque ad exitum perducatur. Quare magnopere Maiestatem tuam hortamur, vt hanc curam & cogitationem suscipias, ac tua prudentia, ac animi magnitudine difficultates remoueas, si quæ forsitan tantum bonum retardare possent, & Episcopum Segnienſem, postquam eum benigne, vt soles, audieris, ita remittas, vt re ex sententia gesta, laboris, & diligentiæ suæ se vberem fructum percepisse gaudeat, & nos pariter propter Dei gloriam, & communem tranquillitatem in Domino gaudeamus. Datum Ferrariæ die 15. Octobris 1598. Pontificatus nostri Anno septimo.

Et ad Archiducem Ferdinandum.

Dilecte fili, Nobilis vir Salutem &c. Pio desiderio permoti, vt inter Catholicos Principes filios nostros in Christo, Christiana charitas retineatur, & omnis radix amaritudinis euellatur, neue vlla, quod fieri potest, dissensionum materia existat, scripsimus per hos dies ad venerabiles fratres Archiepiscopum Iadrensem, & Episcopum

piscopum Segnienſem, & ad Commiſſarios Cæſareos, & Nobilitatis tuæ, vt ex veſtra etiam pia intentione diligenter inter ſe, & cum Adriatici ſinus Præfecto agerent de ratione aliqua pacificationis ineunda inter Segnienſes & Venetos, cuius te quoque, propter publicam quietem, appetentem eſſe non dubitamus. Nunc autem audimus eundem Segnienſem Epiſcopum præſtantē virum ad te venturum, vt de toto hoc negotio tecum communicet, quod certe non exigua cum ſpe inchoatum videtur, etſi ita opus ſit etiam Pragam proficiſcatur ad chariſſimum filium noſtrum Rudolphum Imperatorem electum, patruelem tuum. Nos verò pro noſtro paſtorali munere ad ea ſemper propenſi ſumus, quibus Dei gloriæ ſeruitur, & communi Chriſtianæ Reipublicæ vtilitati optimè conſulitur. Itaque & Epiſcopi Segnienſis diligentiam atque alacritatem in Domino commendamus, & nobilitatem tuam paternè hortamur, non modo, vt eum benigne more tuo audias, ſed vt ad difficultates remouendas, reiq; conficiendæ aditum faciliorem præbendum, operam, prudentiam, autoritatem adhibeas tuam. Quod te tua ſponte facturum, & noſtro etiam hortatu impenſius facturum confidimus. Hoc certè tua virtute & pietate apprime dignum erit, & nobis pergratum. Datum Ferrariæ ſub annulo piſcatoris die 15. Octobris, Pontificatus autem noſtri anno ſeptimo.

detur non mediocri cum spe, in quod cum alij, & nominatim Maiestatis tuæ Commissarij, ac Nobilis viri Ferdinandi Archiducis, tum venerabilis frater Episcopus Segnienſis pia ſedulitate incumbit, qui etiam fortaſſe ad te proficiſcetur, vt tua autoritate tanto celerius, ac facilius optatæ rei tractatio explicetur, atque ad exitum perducatur. Quare magnopere Maieſtatem tuam hortamur, vt hanc curam & cogitationem ſuſcipias, ac tua prudentia, ac animi magnitudine difficultates remoueas, ſi quæ forſitan tantum bonum retardare poſſent, & Epiſcopum Segnienſem, poſtquam eum benigne, vt ſoles, audieris, ita remittas, vt re ex ſententia geſta, laboris, & diligentiæ ſuæ ſe vberem fructum percepiſſe gaudeat, & nos pariter propter Dei gloriam, & communem tranquillitatem in Domino gaudeamus. Datum Ferrariæ die 15. Octobris 1598. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Et ad Archiducem Ferdinandum.

Dilecte fili, Nobilis vir Salutem &c. Pio deſiderio permoti, vt inter Catholicos Principes filios noſtros in Chriſto, Chriſtiana charitas retineatur, & omnis radix amaritudinis euellatur, neue vlla, quod fieri poteſt, diſſenſionum materia exiſtat, ſcripſimus per hos dies ad venerabiles fratres Archiepiſcopum Iadrenſem, & Epiſcopum

piscopum Segnienſem, & ad Commiſſarios Cæſareos, & Nobilitatis tuæ, vt ex veſtra etiam pia intentione diligenter inter ſe, & cum Adriatici ſinus Præfecto agerent de ratione aliqua pacificationis ineunda inter Segnienſes & Venetos, cuius te quoque, propter publicam quietem, appetentem eſſe non dubitamus. Nunc autem audimus eundem Segnienſem Epiſcopum præſtantẽ virum ad te venturum, vt de toto hoc negotio tecum communicet, quod certe non exigua cum ſpe inchoatum videtur, etſi ita opus ſit etiam Pragam proficiſcatur ad chariſſimum filium noſtrum Rudolphum Imperatorem electum, patruelem tuum. Nos verò pro noſtro paſtorali munere ad ea ſemper propenſi ſumus, quibus Dei gloriæ ſeruitur, & communi Chriſtianæ Reipublicæ vtilitati optimè conſulitur. Itaque & Epiſcopi Segnienſis diligentiam atque alacritatem in Domino commendamus, & nobilitatem tuam paternè hortamur, non modo, vt eum benigne more tuo audias, ſed vt ad difficultates remouendas, reiq; conficiendæ aditum faciliorem præbendum, operam, prudentiam, autoritatem adhibeas tuam. Quod te tua ſponte facturum, & noſtro etiam hortatu impenſius facturum confidimus. Hoc certè tua virtute & pietate apprime dignum erit, & nobis pergratum. Datum Ferrariæ ſub annulo piſcatoris die 15. Octobris, Pontificatus autem noſtri anno ſeptimo.

Obſecutus M. Antonius (Epiſcopus tunc Segnienſis electus) iuſſis ſui ſummi Pontificis, egregiâ nauauit operam, vt in hiſtoria Minucij in Breuibus Papæ nominati amplum ei redditur teſtimonium. Permouitque Cæſarem, & Archiducem, vt ad reformationem Vſcoccorum Commiſſarios mitterent. Iuſſerunt Principes ex ſe, quæ iuſta & neceſſaria erant, & Commiſſarij fæliciter ſunt executi, vt capita ſeditioſorum, & piraticæ ductores obtruncarentur, reliqui compeſcerentur. Extremis enim morbis extrema remedia bene ſciebant eſſe adhibenda Principes optimi, & de eorum exiſtimatione plurimum agi videbant, ne, propter indulgẽtiam ac negligentiâ in huiuſmodi hominum fęce ac ſentina expurganda ipſi latronum & piratarum fautores, ac defenſores putarentur. Sex ad ſummum, vel ſeptem fuerunt obtruncati, ſubditi aliquot Venetorum exules capitales, à Principibus nunquam in fidem publicam recepti, Venetorum triremibus mancipati; reliqui omnes ad legitimam ordinatamque militarem diſciplinam redacti. Quid hic Epiſcopo Segnienſi obijci poteſt, Leonarde ridiculum caput? Eius inſignem ac præclaram laudem tu obtrectator inuidus, ad hominis ſanguinarij infamiam traducis; & innocentes vocas, quos totus mundus latrones publicos & agnoſcit, & odit, & merito deteſtatur, quos iuſtiſſimi Principes omnino & puniendos, & compeſcendos eſſe ſtatuerunt: quos Romanus Pontifex (veſter in terris alter Deus) omnino cohiberi, ac in ordinem redigi cupiebat, orabat, rogabat, obteſtabatur: qui demum crudele bellum tibi iam & vniuerſo orbi notiſsimum inter Principes Chriſtianos accenderunt.

Facta

Facta per Commissarios Imperiales qualicunque tunc temporis reformatione, mendacissimus Andreuccius impudenter affingit, Episcopum Segnienſem ab ira Vſcoccorũ elapſum, ad Venetos ſe recepiſſe, præmium recepturum. Menſe Februario anni 1601. inuenio in mei Domini ſcripturis factam per Commiſſarios Cæſareos & Archiducales Segniæ Vſcoccorum reformationem, in qua pauci illi obtruncati: & ſane Principum expreſſo mandato, vt habes in hiſtoria Minucij pag. 40. & 47. Et cum Vſcocchi querimoniam aliquam contra præcipuum Commiſſarium & executorem D. Ioſephum de Rabatta apud Ferdinandum Græcenſem depoſuiſſent, eam egregiè diluit Rabatta, vt narrat Minucius pag. 53. De Epiſcopo tamen nihil ſunt conqueſti: Nam Menſe Iunio eiuſdem anni 1601. poſt factum illius reformationis, quarto iam Menſe inuenio Epiſcopum Segnienſem Segniâ ab Imperatore ad Imperialem Aulam euocatum: exemplaria literarum tibi, Lector, hic ob oculos pono, mendacia Andreucciana fœdiſsima patefacientium. Sciaſque nomen Germanicum ZENG ipſam Segniam ſignificare.

REVERENDO MARCO ANTONIO de Dominis, Episcopo Segnienſi, & Adminiſtratori Epiſcopatus Modruſienſis &c. fideli nobis dilecto, *ZENG.*

RVDOLPHVS ſecundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

REVERENDE fidelis nobis dilecte: Recordaberis procul dubiò quæ inter cætera de vtilitatibus & commodis ex ſyluis cæduis in ditione Segnienſi ſperandis, & percipiẽdis, annis præteritis Pilſnæ exiſtens conſulueris, & qualiter rem illam inſtituendam cenſueris. Cum verò ab illo tempore fortaſsis aliud quid ibidem locorum incidere potuerit, propter quod conſilium iſtud tuum nunc ſequi non tutum, aut etiam in eo per te ipſum quid emendatum ſit. Itaque tibi clementer hiſce mandamus, vt de modo fata opinione & conſilio tuo, non ſolum poſthac altius cogites, & an priori modo in hoc negotio procedendum, aut alia via vtilitas iſta ex ſyluis quærenda ſit, ſedulò perpendas. Verum etiam excepto hoc mandato ſtatim, ac nulla interpoſita mora huc te confer us, & probatam ac iuſtam mappam, ſeu delineationem ſyluarum memoratarum, ac totius ſitus, ſeu regionis illius tecum adferas, iuxtaque

tàque diligenter inquiras, an personam aliquam fidelem, hoc est, erga nos, & rem Christianam bene affectam & animatam, quæ syluarum ac ditionis istius terra marique integram cognitionem habeat, & eam nobis declarare & aperire, nobisque in posterum vtiliter etiam seruire valeat, inuenire posses, ac illam simul adducas, profectionémque tuam ad nos, quoad fieri poterit, matures. Satisfacies in eo benignæ voluntati nostræ. Datum in Arce nostra Pragensi die 6. Iunij anno MDCI *Regnorum nostrorum Romani 26. Hungarici 29. & Bohemici itidem 26.*

RVDOLPHVS.

Ad mandatum electi Domini Imperatoris proprium Ioannes Brauicius.

POLTZ.

Et Præsidens Cameræ Imperialis.

Reuerendissimo D.D. MARCO ANTONIO de Dominis, Episcopo Segniensi, ac Administratori Episcopatus Modrusiensis &c. Domino & amico meo honorandissimo.

ZENG.

REuerendißime D. Episcope amice honorandißime, salutem; & officiorum meorum paratorum oblatione præmissa. Recordabitur D. V. Re-

V. Reuerendißima quidnam annis præteritis cum ipſa ratione vtilitatum & commodorum ex ſyluis cæduis ditionis Segnienſis percipiendorum aliquoties contulerim, & qualiter illa ad hæc pro parte ſua promouenda promptam ac beneuolam ſeſe obtulerit. Cum itaque Maieſtas ſua Cæſarea Dominus noſter clementißimus negotium iſtud ad effectum deduci, atque propterea Reuerendiſſimam D. V. huc venire omnino velit, prout illa ex annexo S. Maieſtatis mandato fuſius intelliget. Iccirco & ego Reuerendißimam D. V. hiſce ſalutare, ac iuxta monere volui ipſa itineri ſeſe quam primum accingeret, ac apud nos ſe ſiſteret. De omnibus quæ ad obtinendum vſumfructum illum neceſſaria vel vtilia fuerint nos fuſius præſens informatura. Quam de cætero proſperrime valere exopto. Datum Pragæ 6. Iunij MDCI.

Reuerendiſſimæ D.V.

Studioſiſſimus

SIGEFRIDVS CHRISTOPHORVS
PRAINER Z. BARO.

Perrexit

Perrexit Episcopus ad Imperatorem: egit negotia: & in præmium sui fidelis seruitij, inter alia, tale rescriptum habuit.

SAcræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Domini nostri clementissimi nomine, Reuerendo Domino Marco Antonio de Dominis, Episcopo Segniensi, ad supplicem libellum suum, quo tenues Episcopatus sui annuos prouentus exposuit, & propterea vectigal Segniense & vicinorum portuum ad decennium, pro meliori sua sustentatione sibi adjci demisse petijt, hisce significandum.

Prælibatæ S. Maiestati quidem hoc tempore non constare, quantum ex dicto vectigali annuatim proueniat, atque merito antequam super hac petitione sua responderetur, informationem super inde petendam fuisse: Verum ne sui condignam rationem non habitam fuisse conqueri, sed magis gratiam S. Maiestatis pro officijs iam præstitis, & in posterum præstandis experiri, atque in ijs alacrius perseuerare, ac promotionem & clementiam maiorem expectare, seseque melius sustentare possit, S. Maiestatem, etiam non habita vt supra dictum, sufficiēte informatione, ipsi D. Episcopo memoratum vectigal Segniense, & portuum reliquorum propinquorum, quantum id

id ad ſuam Maieſtatem pertinet, per quinquennium ab hoc die computandum, colligendum, & vſurpandum clementer decreuiſſe; hiſce tamen ſub conditionibus, vt penſiones annuas per Cæſarem Ferdinandum quondam Beatiſſimæ, & feliciſſimæ recordationis capitulo Cathedralis Eccleſiæ Segnienſis, & Franciſcanis illic conſtitutis donatas annuatim, & ſumptus pro arce deputatos, & ad exactionem, & perceptionem vectigalis neceſſarios iuſto ſemper tempore pendat, & exſoluat, iuxtaq; ſicut obtulit, vt telonium iſtud auctius reddatur, ſedulò curet, imo quantum nunc per annum ex eo colligatur quam primum conſignationem ad ſuam Maieſtatem mittat. Et tandem quinquennio elapſo quantopere iſtud auxerit, & qualiter vberius reddiderit edoceat, & ſpecificatione liquida comprobet. De cætero S. Maieſtatem ipſi D. Epiſcopo gratia Cæſarea propenſam.

Per Imperatorem 19. Septem. 1601.

à tergo.

Reuerendo D. Marco Antonio de Dominis, Epiſcopo Segnienſi exhibendum.

POLTZ.

Rurſus

Literæ etiam sequentes ad rem plurimum faciunt; nam tanto melius ex illis quoque Andreuccianum patet mendacium de fuga Episcopi Segnienſis, poſt Vſcoccorum reformationem: ſiquidem decimo iam poſt illam menſe, ipſe Epiſcopus Segnienſis, Segniæ commorans, tanquam Regni Vngarici Baro ad comitia Regni vocatur.

Reuerendo M. Antonio de Dominis, Epiſcopo Segnienſi &c. fideli nobis dilecto. &c.

ZENG.

RVdolphus ſecundus Dei gratia, &c. Reuerende fidelis, nobis dilecte. Conſtare tibi ea peroptime nihil dubitamus, quæ hoc anno paſſim in Hungaria & Tranſyluania, tam contra perfidos, & Chriſtiani nominis acerrimos Turcas, & Tartaros, quam vero Rebelles, & æmulos noſtros, per noſtrum exercitum, Dei op. max. adiutorio, geſta, & peracta ſunt; quoue in ſtatu res noſtræ bellicæ nunc perſiſtant; quas etiam deinceps contra tam potentem hoſtem, diuino freti auxilio, neceſſario nos proſequi, & continuare oportet. Quo tandem, Deo propitio, & opitulante, in priſtinum pacis, & optatæ quietis ſtatum reducere, ac reſtituere poſſimus. Cum autem hoc ipſum ſine vlterioribus fidelium ſubditorum noſtrorum, ac cæterorum Chriſtianorum auxiliis, & ſubſidijs ad eam rem apprime neceſſarijs fieri nequeat, de illis, tam cum Sacro Rom. Imperio, aliſque Principibus Chriſtianis, ceteriſque regnis, ac prouincijs noſtris, quam vero cum fidelibus quoque Regnicolis noſtris Hungaris, de quorum vtpote ſalute,

REVERENDO MARCO ANTONIO de Dominis, Episcopo Segnienſi, & Adminiſtratori Epiſcopatus Modruſienſis &c. fideli nobis dilecto, *ZENG.*

RVDOLPHVS ſecundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

REVERENDE fidelis nobis dilecte: Recordaberis procul dubio quæ inter cætera de vtilitatibus & commodis ex ſyluis cæduis in ditione Segnienſi ſperandis, & percipiẽdis, annis præteritis Piſinæ exiſtens conſulueris, & qualiter rem illam inſtituendam cenſueris. Cum verò ab illo tempore fortaſsis aliud quid ibidem locorum incidere potuerit, propter quod conſilium iſtud tuum nunc ſequi non tutum, aut etiam in eo per te ipſum quid emendatum ſit. Itaque tibi clementer hiſce mandamus, vt de modo fata opinione & conſilio tuo, non ſolum poſthac altius cogites, & an priori modo in hoc negotio procedendum, aut alia via vtilitas iſta ex ſyluis querenda ſit, ſedulò perpendas. Verum etiam accepto hoc mandato ſtatim, ac nulla interpoſita mora huc te conferas, & probatam ac iuſtam mappam, ſeu delineationem ſyluarum memoratarum, ac totius ſitus, ſeu regionis illius tecum adferas, iuxtàque

táque diligenter inquiras, an perſonam aliquam fidelem, hoc eſt, erga nos, & rem Chriſtianam bene affectam & animatam, quæ ſyluarum ac ditionis iſtius terra marique integram cognitionem habeat, & eam nobis declarare & aperire, nobiſque in poſterum vtiliter etiam ſeruire valeat, inuenire poſſes, ac illam ſimul adducas, profectionémque tuam ad nos, quoad fieri poterit, matures. Satisfacies in eo benignæ voluntati noſtræ. Datum in Arce noſtra Pragenſi die 6. Iunij anno MDCI *Regnorum noſtrorum Romani 26. Hungarici 29. & Bohemici itidem 26.*

RVDOLPHVS.

Ad mandatum electi Domini Imperatoris proprium Ioannes Brauicius.

POLTZ.

Et Præſidens Cameræ Imperialis.

Reuerendiſſimo D.D. MARCO ANTONIO de Dominis, Epiſcopo Segnienſi, ac Adminiſtratori Epiſcopatus Modruſienſis &c. Domino & amico meo honorandiſsimo.

ZENG.

REuerendiſsime D. Epiſcope amice honorandiſsime, ſalutem; & officiorum meorum paratorum oblatione præmiſſa. Recordabitur D. V. Re-

V. Reuerendiſsima quidnam annis præteritis cum ipſa ratione vtilitatum & commodorum ex ſyluis cæduis ditionis Segnienſis percipiendorum aliquoties contulerim, & qualiter illa ad hæc pro parte ſua promouenda promptam ac beneuolam ſeſe obtulerit. Cum itaque Maieſtas ſua Cæſarea Dominus noſter clementiſsimus negotium iſtud ad effectum deduci, atque propterea Reuerendiſſimam D. V. huc venire omnino velit, prout illa ex annexo S. Maieſtatis mandato fuſius intelliget. Iccirco & ego Reuerendiſsimam D. V. hiſce ſalutare, ac iuxta monere volui ipſa itineri ſeſe quam primum accingeret, ac apud nos ſe ſiſteret. De omnibus quæ ad obtinendum vſum fructum illum neceſſaria vel vtilia fuerint nos fuſius præſens informatura. Quam de cætero proſperrime valere exopto. Datum Pragæ 6. Iunij MDCI.

Reuerendiſſimæ D.V.

Studioſiſſimus

SIGEFRIDVS CHRISTOPHORVS

PRAINER Z. BARO.

Perrexit

Perrexit Episcopus ad Imperatorem: egit negotia: & in præmium sui fidelis seruitij, inter alia, tale rescriptum habuit.

SAcræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Domini nostri clementissimi nomine, Reuerendo Domino Marco Antonio de Dominis, Episcopo Segniensi, ad supplicem libellum suum, quo tenues Episcopatus sui annuos prouentus exposuit, & propterea vectigal Segniense & vicinorum portuum ad decennium, pro meliori sua sustentatione sibi adiici demisse petijt, hisce significandum.

Prælibatæ S. Maiestati quidem hoc tempore non constare, quantum ex dicto vectigali annuatim proueniat, atque merito antequam super hac petitione sua responderetur, informationem super inde petendam fuisse: Verum ne sui condignam rationem non habitam fuisse conqueri, sed magis gratiam S. Maiestatis pro officijs iam præstitis, & in posterum præstandis experiri, atque in ijs alacrius perseuerare, ac promotionem & clementiam maiorem expectare, seseque melius sustentare possit, S. Maiestatem, etiam non habita vt supra dictum, sufficiēte informatione, ipsi D. Episcopo memoratum vectigal Segniense, & portuum reliquorum propinquorum, quantum

id

id ad ſuam Maieſtatem pertinet, per quinquennium ab hoc die computandum, colligendum, & vſurpandum clementer decreuiſſe; hiſce tamen ſub conditionibus, vt penſiones annuas per Cæſarem Ferdinandum quondam Beatiſſimæ, & feliciſſimæ recordationis capitulo Cathedralis Eccleſiæ Segnienſis, & Franciſcanis illic conſtitutis donatas annuatim, & ſumptus pro arce deputatos, & ad exactionem, & perceptionem vectigalis neceſſarios iuſto ſemper tempore pendat, & exſoluat, iuxtaq; ſicut obtulit, vt telonium iſtud auctius reddatur, ſedulò curet, imo quantum nunc per annum ex eo colligatur quam primum conſignationem ad ſuam Maieſtatem mittat. Et tandem quinquennio elapſo quantopere iſtud auxerit, & qualiter vberius reddiderit edoceat, & ſpecificatione liquida comprobet. De cætero S. Maieſtatem ipſi D. Epiſcopo gratia Cæſarea propenſam.

Per Imperatorem 19. Septem. 1601.

à tergo.

Reuerendo D. Marco Antonio de Domivis, Epiſcopo Segnienſi exhibendus.

POLTZ.

Rurſus

Literæ etiam sequentes ad rem plurimum faciunt; nam tanto melius ex illis quoque Andreuccianum patet mendacium de fuga Episcopi Segnientis, post Vicoccorum reformationem: siquidem decimo iam post Ilam mense, ipse Episcopus Segnientis, Segniæ commorans, tanquam Regni Vngarici Baro ad comitia Regni vocatus.

Reuerendo M. Antonio de Dominis, Episcopo Segniensi &c. fideli nobis dilecto. &c.

ZENG.

RVdolphus secundus Dei gratia, &c. *Reuerende fidelis, nobis dilecte. Constare tibi ea peroptime nihil dubitamus, quæ hoc anno passim in Hungaris & Transyluania, tam contra perfidos, & Christiani nominis acerrimos Turcas, & Tartaros, quam vero Rebelles, & æmulos nostros, per nostrum exercitum, Deo op. max. adiutorio, gesta, & peracta sunt; quoue in statu res nostræ bellicæ nunc persistant; quas etiam deinceps contra tam potentem hostem, diuino freti auxilio, necessario nos prosequi, & continuare oportet. Quo tandem, Deo propitio, & opitulante, in pristinum pacis, & optatæ quietis statum reducere, ac restituere possimus. Cum autem hoc ipsum sine vlterioribus fidelium subditorum nostrorum, ac ceterorum Christianorum auxilijs, & subsidijs ad eam rem apprime necessarijs fieri nequeat, de illis, tam cum Sacro Rom. Imperio, aliisque Principibus Christianis, ceterisque regnis, ac prouincijs nostris, quam vero cum fidelibus quoque Regnicolis nostris Hungaris, de quorum vtpote salute,*

lute, ac permanſione potiſſimum agitur, tempeſtiue, & priuſquam hoſtium exercitus mouere incipiat, iterum agere, & tractare ſtatuimus. Vt autem hoc ipſũ cõmodius, & bono cũ fructu queat vniuerſis Statibus, & Ordinibus eiuſdem Regni noſtri Hungariæ, & partium ei ſubiectarum generalem Conuentum ad feſtũ Cathedræ B. Petri Apoſtoli, hoc eſt 22. diem futuri menſis Februarij, anni proximè ſequentis ſexcenteſimi ſecundi ſupra milleſimũ ad Ciuitatẽ noſtrã Poſonienſem clementer indicendum & promulgandum duximus. Et dum nos in conquirendis, & procurandis vndique in Orbe Chriſtiano neceſſarijs auxilijs, ſumma cura diſtinemur, & occupamur, et in hac etiam noſtra abſentia Sereniſſ. Principem Matthiam Archiducem Auſtriæ &c. fratrem noſtrum Chariſſimum attributa eius dilectioni de omnibus rebus agendi, tractandi, & concludendi plena poteſtate, præfecimus. Quare fidelitati tuæ clementer, & firmiter committimus, & mandamus, vt ad diem præfatum ſine vlla mora & excuſatione Poſonium venire, atque illic vna cum reliquis Dominis Prælatis Baronibus & Nobilibus, cæteriſque Statibus, & Ordinibus dicti regni noſtri Hungariæ, de iis, quæ ad vlteriorem belli proſequutionem, publicamque eiuſdem Regni noſtri defenſionem, ac eliberationem accommodatiſſima videbuntur tractare, & in medium conſulere, poſtpoſitiſque priuatis negotijs, omnino hiſce Comitijs intereſſe debeas: ſecus ſub pœna Decreti non facturus. Dat. in Arce noſtra Pragenſi vigeſima quarta die menſis Decembris. Anno Dom. 1601.

RVDOLPHVS.

Mart. Archiep. Colocen. man. prop.

HIMELREICH.

Rurſus.

Rursus verò anno subsequenti 1602. Iulio Mense idem, adhuc Segniæ existens Episcopus post Menses 17. ab illorum obtruncatione, ab Imperatore de alio negotio consulitur. Audi.

REVERENDO MARCO ANTONIO de Dominis, Episcopo Segnienſi, & Administratori Episcopatus Mordrusienſis fideli nostro dilecto. *ZENG.*

RVDOLPHVS secundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

REuerende fidelis nobis dilecte, Haud immemorem te fore arbitramur tecum nuper Pragæ commorante conuentum esse, vt nobis aliquot segmenta, seu lapides manuales ex auri & argenti fodinis, in locis illis Segnienſibus iuxta existentibus, vectura tamen dignos, quantocius transmitteres. Quod cum hucusq; non factum sit, nosq; nonnullas eiusmodi segmentorum seu lapidum sortes & species etiamnum desideremus. Gratiose clementer porro abs te requirimus, vt aliquot huiusmodi lapidibus manualibus collectis, & diligenter disquisitis, illos prima occasione data transferri cures; in eo rem nobis gratam, & benignam voluntatem nostram experturus. Datum in Arce nostra Pragenſi, octaua die Mensis Iulij 1602.

Reg-

Regnorum noſtrorum Romani 27. Hungarici 30. Bohemici itidem 27.

Ad mandatum, &c.

POLTZ.

VBi ergo fuga? vbi impalatio comminata? vbi Veneta profectio? Patēt-ne iam tibi impoſturæ & mendacia Tragurienſis Epiſcopi? Videiam quàm ſtultè facias, Mari, qui libellos famoſos peſſimorū obtrectatorum ſequutus, integritatē celeberrimi, & maximè conſpicui Prælati maledico dente rodis. Non enim præcipitati ab Epiſcopo
Pag. 94. ipſius inſidijs Segnienſes, neque cruentæ eius manus, vt tu non ſine ſcelere innuis, & Andreuccius mentitur, viam Epiſcopo Segnienſi ad Archiepiſcopatum Spalatenſem aperuerunt, ſed ipſius egregia opera, in tui Papæ mandatis exequendis, & apud ſedem Romanam optima exiſtimatio, publicaque & notoria ipſius doctrinæ, virtutum & in rebus gerendis in Aulis magnorum Principum peritię notitia ſingularis, cum adiuncta generis nobilitate, cum ſit Comes Palatinus natus, vt ex pluribus nobiliſſimæ illius familię priuilegijs à Sigiſmundo Imperatore datis, cum maxima animi mei voluptate, in Archiuis mihi commiſſis lego. De multis decerpere placuit aliqua, vt ex vngue agnoſcas leonē, & hominē etiam domeſtico, & antiquiſſimo ſtemmate nobilem, digno honore proſequaris.

Ex

Ex Priuilegio Sigiſmundi Imperatoris, Ioanni de Dominis Epiſcopo primum Segnienſi, deinde Varadienſi, totique familiæ illi conceſſo, ſub Dat. Vlmæ, anno D. 1434. Iulij die 16.

Extractum.

SAne licet progenitores tui, & tu dilecte Conſiliari noſter, ab antiquiſſimis retro temporibus geſtauerint, tuque, & tota domus illa de Dominis, quemadmodum clara informatione didicimus, geſtaueritis, & hodie geſtetis arma, ſiue inſignia &c. — Tamen quia tua deuotio, dilecte Conſiliari noſter, nobis præſentialiter in ſacro Baſileenſi Concilio in rebus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Romani Imperij vſq; modo fideliter tuis conſilijs, & operibus adſtitiſti, dignum duximus illis reſpectibus te, domumque tuam Imperialibus encœnijs noſtris honoratam facere &c. — Tibi Ioannni Epiſcopo, & fratribus tuis, ac omnibus de domo tua de Dominis legitime procreatis hanc ſpecialē gratiam facimus, de Imperialis poteſtatis plenitudine &c. — Vt omnes de præfata domo tua, ad decorem & melioratiōnem antiquorum armorum veſtrorum, poſitis & valeatis deferre, & geſtare ſcutum quadripartitum: in prima acie atque quarta, & ſiniſtra parte, ſiue quarta baſis aquilam nigram bicipitem, vſque ad pectus ampliatam, in Campo argenteo ſiue albo coronatam, & ex oppoſito

posito vtriusq; aquilæ arma vestra vetusta præscripta, cum casside coronata, & leone loco ensis breue quoddam hæc verba CAESAREVM MVNVS *continente, &c. – Gaudeat igitur fauore Cæsareo* NOBILIS *domus tua, & de tanto gratiarum munere tota prosapia tua exultet, &c.*

Ex alio eiusdem Sigismundi Imperatoris priuilegio, eidem Ioanni de Dominis, & patruo, ac fratribus, eorumque descendentibus concesso, sub Dat. Pragæ Anno Do. 1437. Die 26. Augusti, Extractum.

SAne dum superiori tempore ad partes Italiæ venissemus, Imperiales insulas in vrbe Romana de manibus Sanctissimi D. Papæ Eugenij recepturi; & nonnulla grandia ingererentur, propter quæ mora nostra in vrbe ad tractandum cum Sanctitate sua protrahebatur. Tu Ioannes, qui summo Pontifici assistebas, tua prudentia, tuaque solertia, talem operam adhibuisti, vt omnia, Deo auspice, ad bonam peruenirent consummationem. Per quæ actum est, vt tandem multa salubria pro statu S. Matris Ecclesiæ, studio tuo interueniente, per nos gererentur. Propter quod te in Consiliarium & familiarem Curiæ nostræ gratissimo acceptauimus animo, & tuo consilio frequenter vsi sumus.

mus. Tandem dum procurante humani generis hoſte graues exortæ forent diſcordiæ inter ſacrum Baſileenſe Concilium, & ſummum Pontificem, propter quas multa ſcandala in populo Chriſtiano oriri timebantur, et aperiebatur via ad ſchiſma, pro quo tollendo, et vt tot tantiſque malis per præſentiam noſtræ Cæſareæ Maieſtatis occurreretur, de Roma ad ciuitatem Baſileenſem velociſsimo greſſu, et ſollicito itinere properauimus. Vbi & tu dilecte noſter accedens, nobiſque aſsiſtens, ita apud ſacrum Concilium pro illis rebus fideliter laboraſti, vt ab vniuerſo coetu Patrum præſtantiſsimam laudem merueris. Tandem dum tractatus vnionis Bohemorum cum ſacro Baſileenſi Concilio, & Eccleſia inſtaret, & in præſentia noſtra longo tempore agitaretur, & nonnullæ reſtarent differentiæ propter quas concluſio rerum impediretur, niſi ſacrum Concilium gratioſe illis annueret. Tu dilecte noſter taliter in huiuſmodi tractatu te geſsiſti, vt ab vniuerſa Congregatione vnus ex aptiſsimis iudicareris, qui huiuſmodi differentias ad Concilium ſacrum deferres, & dictos Patres ad conceſsionem rerum huiuſmodi inducere poſſes. In qua re nil à te per torporem aut ſegnitiem geſtum eſt, ſed, laboribus omnibus à te ſpretis, ita apud Patres egiſti, vt admiſsis petitionibus noſtris in facto illius tractatus cunctorum expectationem facile ſuperares. Fuiſti denique

nique bina vice in conſpectu ſanctiſſmi Papæ Eugenij, vbi grandia Imperij ſacri, & Regnorum noſtrorum negotia, cum votiua expectatione tractaſti. Et modo ſuborta non mediocri nouitate, & diſſenſione in ipſo ſacro Concilio, & inter Patres, qui contra Sanctitatē ſummi Pontificis monitorium decreuerunt, ex quibus omnibus ſuboriri formidantur quamplurima ſcandala, & ſchiſma in Eccleſia ſancta Dei; Tu dilecte noſter iugum aſſumens, & mandatis noſtris obtemperans, iterum ad conſpectum Sanctitatis ſummi Pontificis, noſtri ex parte te tranſfers, daturus operam, vt iuxta deſideria noſtra, ad conſeruationem vnionis Eccleſiæ Dei, ambæ partes inducantur; quemadmodum in Deo illam ſecuturam infallanter confidimus. Pro his ergo omnibus, non ſolum te Ioannem Epiſcopum Conſiliarium noſtrum, ſed tuorum meritorum intuitu, etiam nobiles, Chriſtophorum quondam Stephani (hic eſt tritauus Domini Spalatenſis *Stephanum militem &c. — fratres tuos, & hæredes eorum, & deſcendentes in perpetuum, legitimos tantum &c. — noſtros, & Imperij, Sacri Lateranenſis palatij Comites facimus, creamus, erigimus &c. — Dantes, & concedentes vobis, & hæredibus veſtris ſupradictis, quod poſitis vbique locorum, & terrarum, vnuſquiſque veſtrum, & ex vobis quilibet (illuſtrium virorum, Principum, Comitum, & Baronum filijs dun-*

duntaxat exceptis) legitimare, & in patriam poteſtatem reducere quoſcunq; ſpurios, naturales, inceſtuoſos, manzeres, nothos, &c. — Poſſitis inſuper facere, & creare Notarios publicos, & tabelliones, nec non Iudices ordinarios, & delegatos; & per vos ipſos facere, exercere omnia ea quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, voluntariæ, vel delegatæ, &c.

Capias hinc ſpecimen tu, capiant reliqui obtrectatores, quis ſit M. Antonius de Dominis, ac Dei ſolius opus miremini, quod vir tot rerum humanarum præſidijs, dignitatibus, commodis, ſpe ſuffultus, voluerit pro Chriſto, ac Euangelij veritate hæc omnia poſthabere, & exul, ac pene nudus, nudum Chriſtum ſequi.

His etiam, vt alijs iam de Vſcoccorum cauſſa allegatis, ſuffragatur locuples teſtis Minutius qui ſupra Archiepiſcopus Iadrenſis, is ſuę hiſtoriæ pag. 46. de meo Domino, qui tunc Epiſcopus erat Segnienſis, ita ſcribit. *Il Barbaro s'abboccó la prima volta co'l Commiſſario alla preſenza del Veſcouo di Segna, che haueua in quel giorno á punto pigliato il poſſeſſo della ſua Chieſa, & co'l cui conſiglio s'indrizzauano tutte le coſe, per eſſer Prelato, che nelle Scole di Padri del Gieſú haueua acquiſtato ſcienze profonde, che accompagnate con l'uſo delle coſe del mondo l'haueuano reſo grato á Principi Auſtriaci, & al medeſimo Rabatta; ſi come per eſſer della Famiglia de Dominis nobile d'Arbe, ma piú per eſſerſi moſtrato, bene affetto al negotio, & hauerſi per ben publico, &*

della patria sua molto affaticato si intorno, & per esser anco confidente de Signori Venetiani. Et inferius pag. 47. *Pareua, che questo contrasto fosse per difficoltare ogni bon progresso della trattatione: ma il Vescouo di Segna consigliò il Rabatta, che rimettesse á tempo, & loco più opportuno; perche la materia era stata altre volte ventilata,* &c.

Habemus à nobilissimo Historico, egregiè fuisse tractatum negotium Vscoccorum per Dominum meum, tunc Episcopum Segniensem; atque hoc nomine, & mandato Romani Pontificis. Quæ verò Andreuccius mendacia multiplicat de sua pensione, & lite, falsa esse; vera autem, quæ mihi succincte narrauit meus Dominus, & ego tibi paulo ante retuli, Rotę commissiones Romæ conuincunt, quarum exemplaria legi in ipsis Domini mei scripturis. Anno scilicet 1605. ea sunt actitata Romæ, & commissa causa inualiditatis pensionis in Rota, cum ea tamen conditione, vt lite pendente solutiones interim non suspendantur. Cur ergo mentitur Andreuccius nil ab Archiepiscopo impetratum? Sicut etiam mentitur D. Archiepiscopum lubentem, & volentem pensioni esse assensum. Legantur Bullæ Pontificiæ concessionis Archiepiscopatus sub anno 1602. Mense Octob & nullam in ijs mentionem quisquam inueniet pensionis reseruatæ. Inspiciantur notæ Papalis Cancellariæ & nusquam inuenietur hic assensus, qui alioquin ex regulis eiusdem Cancellariæ Reg. 44. erat expresse præstandus. Et si hunc assensum præstitisset, nunquam causam inualiditatis Papa in Rota iudicandam commisisset,

vt

vt iam vel pueris ipsis in Curia Romana est notissimum.

Quàm verò stultum mendacium illud propudiosi Episcopi Traguriensis, Archiepiscopum, videlicet meum Dominum, *vix Venetias reuersum ex dolore litis amissæ, maledicta in Romanum Pontificem vomere cœpisse?* Causa Romæ agitata est anno D. 1605. vt scripta Curialia testantur; Archiepiscopus nihil publicè in Romanum Pontificem est locutus, nisi in sua sui Consilij expositione anno D. 1616. ad finem Septembris: quomodo enim eum tolerasset Pontifex, & sanctum officium Inquisitionis? An non contra illum monitoria, citationes, querelæ extarent? Et tamen à lite illa, vsque ad consilij sui illam expositionem, anni intersunt vndecim. Itane ergo statim post litem amissam, id est in Rota admissam, cœpit Dominus meus contra Pontificem insurgere? Et hinc ne illæ lachrymæ vt Andreuccius fæx Episcoporum, obtrectator pessimus, calumniarum artifex, & infamis maledicus ac mendacissimus confinxit? Ex tam cænoso fonte, ex fætidissima cloaca gutturis Andreucciani, tu, Mari sus κοπροφάγε, aluum reples tuum, ac inde mendacia eructas, euomisque olida, fæda stercorea.

Calumniarum artifices hic varij sed fabrica sibi non absimilis, materia hinc inde alia sed eadem deformitas. Ita plures loco forte diuersi textores, ex lana tamen prorsus simili eundem pannum conficiunt. *Infidelis pannosus*, qui suis centonibus Marium nostrum ad pulchellam mendaciorum texturam componendam ditauerat, quosdam tamen in extrema panniculi sui caudâ floccos, quæ-

dam titiuilitia reliquit, quæ Marium ipſum (vt vt effrontem ſatis) ſuo ſubtegmini intertexere. Putauit ſcilicet Romam non fore ſat ſibi ſimilem, niſi veteres ſuas artes etiamnum exerceat. Ipſa, olim Ethnica, Chriſtianos (vt habet Tertullianus in Apologetico) infamauit *ſacramento infanticidij, pabulo crudæ, poſt conuiuium inceſto:* Nonnulli, qui hæc legunt hodie conuicia, vereor ne imitentur. Innocentiſsimo Chriſticolæ (cui id vnum crimen, quod non eſt Papicola) affingi manus ſanguine cruentatas non eſt ſatis; adhuc pergunt lingua furere, inceſtus ſuſpicionem obijcere muſsitans cupit ille *Infidelis*; Muſsitans, inquam, ac impudentiæ impatiens ſuæ. Quod enim in illo libellulo lingua Anglicana emiſſo apertius poſuerat, in Latina editione, non auſus proloqui, verbis generalibus obnubilauit. Audiamus autem ipſam belluam Domino meo oblatrantem. *Cum ad ædem Sancti Dunſtani in triuio more tuo verba faceres ad populum.* Nequeo pergere. Quid impedit? Pudor? Imo riſus. Sinite reſpirem, quæſo, niſi me vultis riſu emori. *Sancti Dunſtani? In triuio? Ad populum?* Mirum ni ædis nomine ebrius hic conuiciator œnopolium intelligat (qualis de Epiſcopis Anglicanis ad hederatum Inſigne Manni conſecratis currit fabula) Eſt, ſaltem fuit Londini taberna quædam, cui Inſigne Sanctus Dunſtanus diabolum fæminea forma tentantem forcipe prehenſum tenens. Proculdubio ad eam alluſit *fabellam legendariam*, qui hanc de Domino meo fabulam excogitauit. Satis enim habuit huic comprobando crimini ſi ita argumentaretur. Dunſtanus Sanctus fœminam ignotam haud alijs armis

mis vincere ac punire potuit, quam ferreis: Versabatur enim in officina ferraria. Ergo Marcus Antonius, cum nunquam ferrariam exercuerit, nec forcipem, sed calamum tantum, chartasque tractare solitus sit, à fœmina nota miniméque laruata, etiam sanguine coniuncta necesse est vt vincatur. Sed Ædem, non ædes ponit noster rabula, nempe parochialem aliquam Ecclesiam Sancti Dunstani memoriæ dicatam. Iam certè intelligo binas esse tales in ciuitate Londinensi, Orientalem, & Occidentalem: quarum neutram Dominus meus (quod scio, & assiduus adhæreo in comitatu famulus) vnquam adijt. Sed esto, transierit aliquando (vt omnes rheda vehentes solent) plateã aliquã cui contermina Sancti Dunstani Ecclesia. Quid tũ? Sed *in triuio ad populũ verba habuit, idque nouo more.* Quam triuiale, quam tamen parum populare, quam noui moris mendacium. O mi πολυώνυμε πολύμορφε, *Fidelis Annose Verementane Druine,* vbi iam fides tua? Vbi mens conscia veri? vbi anni tui ex quibus sapis? Cur tu *Druinus?*

Ταῦτ' ἀ γὼ ἀπὸ δρυὸς, οὐ' ἀπὸ πέτρης.

Non hæc à quercu, aut saxo fundamina surgunt,
Sed spuma, aut pluma, aut si quid & his tenuius.

Breuiter habe. Populum nunquam vsquam alloquutus erat, cum hæc libris vestris spargerentur, ne quidem in æde vlla, nedum ad ædem in triuio, ne quidem Italica sacra concione suos populares, nedum vnquam Anglicano idiomate, quo quidem apud populum adhuc nequit verba facere, neque certe eum populus verba facientem intelligere. Ergo M. Antonio populus nescio quis (hoc est nemo) nescio vbi in triuio (hoc

est nusquam) verba facienti nescio quæ (id est nulla) respondit nescio quid, (certè nihil.) Hoc tamen nihil iste primo Sphynx sic obuoluit *te lapsum in crimen, quod ob modestiam prætermitto.* Itane? Te tua Interorum portis affixa Satanę cauterio vitulata conscientia non prohibet fingere: figmentum autem ipsum eloqui prohibet virginalis scilicet verecundia? Deinde idem Anglicanus factus Oedipus ænigma suum explicat, *de nepte violata à patruo.* En hic orphanorum hostis legem duram in patruos tulit. Si fratris sui filias negligant, crudeles, si curent, incesti erunt. Cur autem incesto thoro non superaddis (vt facias Oedipodem) iugulatum patrem, effossos oculos; & quicquid tragicum implet cothurnũ? Hæc credo addidisses, nisi audijsses Marci Antonij Patrem, illo in cunis vagiente, mortuum, idque ex morbo; ac nisi satis constaret ex libris ab ipso Antonio lectis ac conscriptis, illi nec mentis, nec corporis oculos esse effossos.

Te vero, scelestissime impostor, pudeat mundo oggerere, quasi ab Anglis credita, aut sinistrè mussitata, quæ ipsi hic plebeij pueriliter à vobis conficta vel rident, vel execrantur. Norunt vestram mendaciorum officinam operosam. Eo honorificentius sentiunt de aduenis suis, quo vos fœdiora ijs imputatis. Tantum abest vt Domino meo (quod non tam malitiosè, quàm stolidè fingis) obloquatur populus Anglicanus, vt eum non plebs modo summa reuerentia, piaque attestatione, sed & insignissimi proceres optima opinione, ac propensissima humanitate prosequantur. Si mihi infimorum infimo fas esset in

ipsum

ipsum te deducere fastigium, adderem quanta sit æstimatione apud supremum fidei, fideliumque Defensorem. Audebo autem, vel vt tibi tuisque oculos videndo simulque inuidendo effodiam, testimonium, quo nullum sanius, nullum inter humana sanctius repræsentare. Tu vide iam (& inuidia statim contabesce scelus) quam honorificè suauiterque Dominum meum, etiam post iactata vestra opprobria, Rex Serenissimus, datis ad eum è Scotia literis, dignatus sit salutare.

Reuerendissime Domine Archiepiscope,

Accepimus non ita pridem ab Amplitudine vestra literas pietatis, & Officij erga nos plenissimas; quas gratiores nobis fuisse vt intelligas, respondimus in hoc tempore, in quo negotiorum numero & pondere opprimimur, pene ac obruimur &c.— Autorem nos obuys vlnis amplectimur: & certè dignus est qui à nobis colatur. Qui patriam, qui amicos, qui cuncta, quæ carni chara esse solent, pro Christo Domino reliquit, nonne meritò ille dignissimus habeatur, qui à Christo Domini vnicè adametur? Nec est, quod huius in te animi nos pœniteat, cum acerrimi tui hostes nihil hactenus in tuis moribus inuenire potuerint, vnde vel te de vita

tua

tua anteacta, vel nos de præsenti, aut futura gratia pudeat. —— *Cum viderint aduersarij, quibus fundamentis illud tuum* (de rep. Ecclesiastica) *opus nitatur, quali testium nube firmetur, discessum tuum ab eorum cætu temere susceptum non dixerint, nec consilium tuum de loci mutatione facilè improbauerint, qui veritatem ipsam faciliùs non respuunt.* & post pauca. *Ita enim beauit nos Seruator noster, vt, qui veritatem non amant, pariter & nos oderint: nec est, opinor, in terris (absit inuidia verbo) non modo Rex vllus, sed ne conditionis infimæ homunculus, qui talem sustinuit pro Christo contradictionem. Incipimus denique iam tandem, vt exoptas, nostrum ad vos reditum maturare; quem eò fæliciorem futurum spondemus, quò ardentiores pro nobis preces effuderis; & sicuti tibi placuit celeriorem nobis reditum ex itinere exoptare, sic vicissim tardiorem tibi exitum ex vitæ curriculo comprecamur, vt ingens hoc, & egregium Opus tuum pari fælicitate perfectum videant oculi tui, qua inceptum cernunt alieni. Vale dignissime Archiepiscope. Deus opt. max. te diutissime seruet incolumem. Sterlino. 3. Iulÿ.* 1617.

IACOBVS R.

Quanto

QVanto cum ſolatio, animique tripudio Dominus meus Regias has literas legerit, relegeritq; à me certe, licet tum oculato, ac domeſtico teſte, dici ſatis non poteſt. Quid, inquit, mihi optatius, aut honorificentius accidere potuit, quam quod habeam, non modo innocentiæ meæ teſtem Regem innocentiſſimum, integerrimum, & animo iuxtà ac titulo, Sereneſſimum, ſed eundem etiam glorioſi pro Chriſto certaminis conſortem, ac veritatis nomine linguarum contradictioni expoſitum? Ego ne calumniarum ſpicula in caput hoc vibrata libenter non excipiam, qui Regẽ Chriſtianæ militiæ anteſignanum venenatis eſorũ telis clam, palãque, per vmbrã, ac lucẽ emiſſis videam impetitum, inuulnerabilem tamen, ac ex ipſis calumnijs victrices gloriæ corollas reportantem? Ego certe, talem ſequutus ducem, quælibet in me, coniecta maledicta perferam, animonon tantum ſedato, ſed etiam læto, alacrique.

His non tam lætus, credo, Dominus meus, quam triſtes vos ſcurræ, hæc non magis eum, ſimulque me gaudio afficiunt, ac reficiunt, quã vos iuſto dolore (inuidia quippe inuidorum peſtis iuſtiſſima) conficiunt, planeque interficiunt. Agite, pergite, diſrumpamini. Quid dico diſrumpaminj? Iamdudum, credo, diſrupti eſtis. Non ſolum enim vos rabulæ, Stentorij lingua venali in Dominum meum vociferando ramices rupiſtis; ſed etiam conductores veſtri, ac fraudum architecti omnes, quos excogitandis mendacijs nimium intenderunt, ingenij neruos prorſus diffregerunt, forte etiam eorum quiſque, vt cum Ennio balbutiam,

Quid

Cere—diminuit—brum.

Quid mirum, vbi ſæpe caput ſcalpendo, ac viuos vngues rodendo, omnem lapidem mouendo, omnia Domini mei, vbicunque pedem poſuerit, veſtigia canina indagine perſequendo, accuſatores orando, ornando, ſubornando, iuridici proceſſus ſpeciem quandam, ac ſcrutinium Inquiſitorium (quaſi ad extremam iuſtitiæ laruam) formando, ne hilum tamen profecerint ingenioſi, aſtutiq; artifices, nec integerrimj, laudatiſſimique Archiepicopi Spalatenſis famam, vel iudicijs euertere, vel prejudicijs ſuffodere potuerint. Imo non neminem haud vili loco aut conditione hominem ab quæſitoribus, vt aliquid contra Dominum meum deponeret, vocatum, eidem luculentum prębuiſſe audio integritatis, innocentięque teſtimonium: legatur Venetijs in S. Officio depoſitio ſtrenui, ac generoſi militum Ducis D. Franciſci Capogroſſi. Vos tamē detractatores peſſimi, diaboli mancipia, aduerſus meum Dom. turpiſſima mendacia, & calumnias fœdiſſimas variorum ſcelerum excogitaſtis, vt diſceſſū ipſius voluntarium, integro biennio antequam contigiſſet, huic Regiæ Maieſtati, ſummiſq; huius Regni Prelatis, & Proceribus prę-cipuis notiſſimum, fugæ infamis nomine dehoneſtaretis; quaſi ille vindices ſuorum delictorum pœnas, à Pontifice, ſibi inſtantes, declinarit. Pueris, & fœminis iam notum eſt proceſſus quoſdam iudiciarios prima initia habuiſſe Venetijs à Nuntio Papæ, & Inquiſitoribus, nemine accuſante, poſtquam diſceſſus hic ipſis innotuit: Notum eſt, quotquot inimici erant ipſius, quotquot ſimultates cum illo gererent, arte ſumma, per Nuncium

fuiſſe

fuisse conquisitos, vt contra Dominum Spalatensem ederent testimonia. Quicquid igitur à maleuolis, ab obtrectatoribus, à calumniatoribus iam ante plures annos excogitatum, dictum, auditumue sit, id auidis chartis excipiebant. Sed cum nihil legitimè constaret, quo fama mei Domini minueretur, multa optimæ ipsius existimationi egregie cõsulerent, puduit pudetq; publica autoritate illa diuulgare. Si iustis testimonijs fama eius læsa ac vulnerata fuisset, vbi gentium non volitassent iudicij peracti formulæ? Quis locus non personuisset consignatis, ac in acta redactis veridicorum testimonijs? Interim verò priuati susurrones in dies nouas calumnias, iam post biennium ferme integrum illius discessus, inter vos, & in Papistarum huius regni vulgus spargunt, atque ita in dies nouas & calumniosas discessus Domini Spalatensis causas comminiscuntur, quæ ante discessum penitus nullæ erant.

De priuatis tamen hisce contra se formatis illegitimis, non iudiciario, sed hostili animo processibus, cum dudum nonnihil inauditset Dominus meus contra tam iniustos suæ ipsorum peruersitatis ac malitiæ sibi conscios, seu testes, siue Iudices, non alia sibi opus esse dixit defensione, quam illa Tertulliani voce apologetica in causa Christianorum communi contra calumniatores asserenda: *Appellamus, & pronocamus à vobis ad * conscientiam vestram.* Glossa Lohetana. * *Si quam habetis.*

Tertulliano quàm commode suffragatur is, qui eum Magistri loco semper habuit, Cyprianus, quem perlige, inquit LOHETE, prout iam apertus manet, ex quo emblemata Marij inde desumpta

desumpta consulueras, ac lege sententiam, quæ incipit, *Atque hec est, frater, &c.* Lego.

Vera dementia non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallant, noctem tam diu esse, quamdiu illucescat dies: clarificato autem die, & sole oborto, luci tenebras, & caliginem cedere, &, quæ grassabantur per noctem, latrocinia cessare. —— *Non qui audit, sed qui facit conuicium, miser est, nec, qui à fratre vapulat, sed, qui fratrem cædit, in lege peccator est: & cum nocentes innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam, qui facere se credunt.*

Hæc mea in causa affirmabunt Deus & Veritas.

Iam ad te iterum redeo, maledice Mari, sed valedicturus idque paucis. Quem vt vt Cathedratum Professorem ego nouitius Theologici fontis delibator tantum, ac pitissator etiam sortis famularis homo, admonere audeo, ac præceptis onerare sed breuibus, parúmque onerosis, ne vetus veternosus lassus caballus D. Mariottus

—— *titubet, mandatque frangat.*

Prima itaque, quam edico tibi, nugigerule confutator, lex esto.

Quicunque scripta aliena refutare se dicit prius legito: sin secus faxit, scombris tunicas consuito.

Secunda, qua te leuipedē erronē in viam retraho,

Ne quis causse pomœria sciens volens transgreditor, qui fecerit ad Insulas fustitudinarias amandator.

nempe vbi viuos homines mortui incursant boues.

Tertia, qua te exufflo Bombomactrides Calumniator, esto.

Si quis scurra venalis probos volet infamare, verisimilia confingito: alioquin tristi plectatur domicoenio.

Si tibi, Leonarde, animus est (at certè non esse colligo

colligo dum arteriam tuam tango, ac pulsum metior, ita lentum salit) quod si tibi redux anima suppeteret, vt ad tres reliquos primi voluminis Domini mei libros exossandos te accingeres aliquando, vel potius vt ad primum librum remetiendum redires, vin tu horum meminisse? quæso meâ gratiâ, imo tuâ velis. Ita libri tui perennabunt ac viuent *per omnes retro etates.* Retro, inquam: retrospice tuæ epistolæ paginam secundam; vbi ita me loqui doces. Sed dum te ad denuo scribendum hortor, in pertusum dicta dolium congero. Vale Congerro. Non tamen sine finali Emblemate, eóque ex eiusdem (vnde tu duplex tuum) Cypriani eadem epistola desumpto, libri nempe 1. ep. 3. quod tibi, tuisq; pro viatico esto:

Romani cum mendaciorum suorum merce nauigarunt.

FINIS.

Pag.	lin.	Errata	Corrige.
In titulo.	eiuſdem	ſualpello.	*dele* eiuſdem.
6	17	βαλεχχεωμαχία	βλεχχεωμαχία
10	penult.	&	*dele*
23	21	deprehenderis	deprehendaris
28	7	ſtratutum	ſtatutum
52	23	fecerit	facerit
71	6	tibi	ibi
78	11	ſcriptorum	ſcriptoribus
84	1	Paulo	Thoma
97	8	mihi	mi
101	vlt.	Fælcem	Fælicem
134	14	à	*dua*
135	24	encomijſticis	encomiaſticis
ibid.	vlt.	Dulmeno	Dulmenio
136	9	Dulmenius	Dulmanus
137	12	quæ vero	que ergo
138	4	deſſimile	deſſimule
ibid.	penult.	eſt	eſſe
139	14	Pitagorici	Pithagorici
152	18	emblemmatis	emblematis
155	26	aliquando	aliquandiu
156	3	reliquorum	relíquoíque
ibid.	vlt.	copore	corpore
158	3	vos	nos
ibid.	24	Hus vocem	Hus, ſiue Hieronymi de Prag. vocem
216	10	triumphas	triumpha
217	11	neceſſario &	neceſſario, inquam, &
225	13	Theophilacto	Theophylacto
286	12	cruentę	cruentata

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM,
M. DC. XVIII.